



d  
s



W. H. 183.



Freiherr v. Ende-Miljessnitz



DANIELIS GEORGI  
MORHOFI  
COMMENTATIO  
DE  
DISCIPLINA  
ARGUTIARUM.



---

ANNO M DC XCIII.





2009

219

ne  
fti  
can  
ne  
del  
run  
arg  
int  
ri n  
arg  
ra C  
liter  
qui



I. N. I. C.

## PRÆFATIO.

**A**rgutæ Orationis disciplinam tradituri Philosophorum morem imitati disquiremus:

I. *An detur Argute orationis disciplina?*  
neque enim difficultate caret illa questio. Sunt enim, qui planè supervacaneam arbitrantur hanc esse tractationem, & naturæ potius, quàm ulli artì deberi. Sunt, qui existimant, ad corrumpendam bonæ dictionis indolem arguti styli affectationem primùm esse inter doctos viros ortam; ac sanè negari nequit, adeò intemperantem fuisse argutiarum usum, uti olim post tempora Ciceronis, ita & nostro Seculo post literarum palingenesiam, apud Italos, qui hanc argutè scribendi rationem ita  
A fre:

frequentarunt, ut nihil penè ab illis scriberetur, quod non esset argutiis omni ex parte incrustatum. Quod cum fieri viderent passim viri docti, & promascula & succiplena eloquentia subornari lenoninam aliquam, meretriciam & fucatam, vehementer adversus illud corruptum dicendi genus declamarunt; nec immeritò: neque enim ideò vel de argutiis quicquam traditur, ut integrum orationis corpus hòc modò efformemus, cum illa orationis virtus sit decorè & cum ratione ac iudicio adhibenda. Illi verò homines nihil nisi argutum & sententiosum crepabant, conquisitis undique elegantis, nunquam ineptis, & nive Gallicâ (Riphæa) frigidioribus. Quod vitium evitare non possunt, qui hunc unicè sibi propositum habent scopum, ut omnem orationem argutam habeant. Cùm enim argutia vel in *vocibus*, vel in *sententiis* consistat, rei autem naturalis non sit, ut admittat effatum aliquod argutius, non potest non ineptus esse, qui

qui argutias omni in periodô atque adeò in totâ oratione affectat. Plusculum hic videtur indulgeri posse *Oratori Sacro*, qui cum versetur in meditatione verborum scripturæ, atque adeò totâ oratione illud agat, ut ad sublimes sensus extollat auditores, talibus mediis utitur, quæ admirabilem orationem faciunt: sed in omni, atque adeò populari argumento, unicâ illa chordâ oberare, putidum est & nugatorium. Magni proinde ingenii & iudicii res est, sine affectatione & tumore stylo arguto uti, neq; facilè in illos cadit, qui nondum vario dictionum genere subactam habent eloquentiam. Temperare itaq; sibi ab his debent, qui nondû firmarunt stylum, & ex aureæ ætatis scriptoribus civile illud dicendi genus tum copiosum, tum strictum, sibi compararunt. Præ cæteris verò lacteam illam & augustam Ciceronis copiam per omnes minutias sibi reddant familiarem, nisi enim id fecerint, corrumpent omnia, neque haberi strictæ & argutæ eloquentiæ felici-

tas potest, nisi illa copiosa præcesserit. Ille enim, monitore *Erasmio*, breviter & argute loqui discet, qui didicit copiose loqui. Variæ sunt virorum doctorum adversus affectatores illos argutulos declamationes. Jam tum ipse *Quintilianus* perstringit hoc suo tempore à nonnullis frequentatum dicendi genus. Exstat *Alberti de Albertis* è Soc. Jesu, adversus eloquentiæ Romanæ corruptores actio, quæ prodiit sub tit. *Theauri eloquentiæ Sacræ & Profanæ*, (recusa in Germ. Colon. Agripp. anno 1669. in 12.) omnes vir ille eloquentiæ vires non fanè exiguas in pravo hõc more debellando impendit, prolixè argumenta in utramque partem adducens & ventilans, imò huic vitio omnem corruptarum concionum originem tribuens; Nihil enim, ait, enthymematici in istis inveniri orationibus, sed meros esse strepitus sententiarum malè coherentium, & quandam antithetorum histrioniam, quibus titillari aures auditoris possunt, pectus verò non saturari. Exstant *Francisci*



*cisci Vavafforis*, Jéf. doctiffimi & latiniffimi in Galliâ orationes, & inter illas tertia, quæ scripta est *pro veteri dicendi genere contra novum*, qua ille Italos, acuminum affectatores, & Gallos illorum imitatores vehementer infectatur, & falsè admodum exagitat. Hæc omnia, quæ adversus doctrinam de argutiis afferri poterant, ut sunt veriffima; ita tamen accipi non debent, quasi nullus omninò sit argutiis locus, aut nulla possit excogitari ratio, quâ acumina inveniuntur, aut orationi inspergantur; neque sanè ex eò, quòd intemperanter quidam his rebus usi fuerint, extirpanda omnis illa orationis virtus est, quæ modicè, & cum judiciò, & ubi opus est adhibita, pulcherrimis orationem coloribus pingit. Disputatum jam olim fuit à *Cicerone 2. de orat.* qui ipse ad argutias proclivi ingenio natus artis præcepta dari quidem posse non negabat, totam verò rem naturæ potius & occasionibus rerum, quam disciplinæ permittendam esse volebat, in eò à *Ce-*



*sare* dissentiens, qui adversam sententiam amplectebatur.

Veteres sanè Rhetores, quorum familiam ducit *Aristoteles*, ejus rei vel parum, vel nihil habent. Præcepit quædam de urbanitate *Aristoteles*, quæ huc pertinent, nam *Lib. III. c. X. & XI.* agit de oratione urbanâ, ejusque locis, quæ aliqua ponunt quidem hujus orationis principia, sed brevissima illa sunt, neque adeò distincta; & verò urbanitas sola non absolvit omnem argutiam. *Hermogenes* in librò suò de formis orationum, moratæ orationis virtutem facit τὴν ὀξύτητα, sive δειμύτητα, acumen, *lib. 2. Idear. c. 5.* ostendit & ille aliquot fontes, sed parcè admodum & confusè eam rem tractat, & ad solum ridiculum respexit, cùm tamen non absolvatur eò omnis arguta dicitio. Profluit quidem illa ridiculorum doctrina ex iisdem fontibus, sed non solam eam materiam habet: neque enim ars argutè dicendi huic tantùm fini inservire debet, ut risum loquentibus vel audientibus

exci-

excitet, sed ut admirationem pariat, ut indignationem concitet, ideoque sublimitas in dicendo partem etiam facit argutiæ. Et jungenda hic sunt *Dionysii Longini* præcepta, cujus exstat *περὶ τῆς ὑψηλῆς* liber aureus, quod admirationem efficit. Jungenda etiam illi est forma illa, quam *vehementiam* vocat *Hermogenes*. Accommodari itaque omni causæ arguta dicitio potest, modò iudicium illud adhibeatur, quod idoneum argutiarum delectum instituire norit. Huius enim vitio imputari debet, quicquid in hōc genere peccatur, non arti ipsi, quâ ratione tamen *Cicero* arti naturam prætulera: interest enim profectò, an inepta ingenia arte bona malè utantur; an ingenia sagacia, quale fuit *Ciceronis*, naturam sequantur, quæ tamen arti ipsi vias aperit.

*Quintilianus lib. VI. c. 3.* de urbanitate differens, medium quodammodo se gerit, sed ita tamen ad artem adstringit, ut præcipuum positum esse putet in natura & occasione. Hæc ipsa tamen, quæ

natura suppeditat, suos quosdam etiam ex arte fontes habet, quod subinnuere videtur ipse *Cicero* in Epist. quadam ad *Volumnium Eutrapelum*, in quâ ponit ille regulas quasdam certas, secundum quas examinanda sint sua dictoria. Remittit eo in locò ad librum suum II. de Orat. ubi ex professò de illâ re agit, sed illa sunt de ridiculò tantùm præcepta, quæ alii postea Autores singularibus dissertationib9 alterius illustrarunt, præcipuè *Passeratius* in librò suò *de ridiculis*.

De altero illò facetiarum genere, quò res etiam graves Attico lepore elegantiaque ad voluptatem, ac admirationem condiuntur, nihil eo loco præcepit, quanquam è communibus etiam fontibus utrumque genus oriatur. Applicari arguta dictio omni causæ potest. In demonstrativo genere institui possunt orationes Encomiasticæ arguto illo stylo compositæ, vel breviora illa elogia ad inscriptionum formam composita. Ad genus deliberativum pertinent orationes consultatoriæ sententiis gravibus condend-

denfatæ, quale quid vel *Seneca* vel *Tacitus*. Ad *genus judiciale* referri possunt omnia genera Satyrica, quibus mirificè inserviunt acumina, figuris vehementibus armata. Transferri etiam ad orationem ligatam doctrina illa potest, imò debet, præcipuè ad illa carminum genera, quæ argutiam pro animâ habent; verum præcepta, quæ omni argutæ dictioni in universum conveniant, nemo dedit. Quanquam è *Cicerone* constat, fuisse viros Græcos, qui aliquid ea de arte scripserint: quoniam autem non magnopere à *Cicerone* laudantur, verosimile est, non usq; adeò perfecta ac omnibus numeris absoluta illa fuisse. Præter *Hermogenem*, quem supra laudavimus, aliqua tetigit de hâc doctrinâ Prætor *Demetrius lib. de Elocut. à c. 44. ad 49.* ubi sexdecim locos producit, unde Veneres ducantur, quæ in dictione existunt; quinque unde orientur, quæ in rebus ipsis sunt. Per Veneres ergò argutias intelligit. Acutissima sunt, quæ in Commentariis doctissimis

addiderunt *Petrus Victorius & Job. Caselius*, ille magnum Italiae, hic Germaniae decus. Quos Demetrii fontes secutus potissimum videtur *Job. Sturmius lib. de universâ ratione Elocutionis c. 22.* Quod RECENTIORES attinet, primus est, quod sciam, *Sarbievius*, qui librum de acutô scripsit, unde excerptit quædâ *Radovig*, & suo oratori *Extemporali* inseruit. Non multum autē ipse à Cicerone abit, & præterea praxin aliquam inveniendi acumina adjungit. Non vidi ipsum librum, quantum tamen ex Excerptis colligere licet, video eundem quoque de locis Dialecticis cogitasse, super quibus fundavit *Masenius* argutiarum suarum artem, quam ille elegantissimo libellô tradidit, additis exemplis tam ligatæ, quàm solutæ orationis. Est verò ille inter Recentiores, quod ego sciam, optimus, maximèque perspicuus. Quatuor constituit fontes, fontem Repugnantium, Alienatorum, Comparatorum, Allusionum. Postquam illa in genere tractavit, subjicit illi artem familiarium.

lia  
tic  
Ita  
br  
inf  
rist  
qu  
the  
ne  
niu  
run  
sen  
qu  
dis  
tur  
cla  
pra  
cep  
Co  
egr  
Eia  
rati  
ide  
que  
bus

liarium argutiarum sive apophthegmaticam. Scripsit & *Emanuel Thesaurus* Italicâ linguâ ad ductum Aristotelis librum de ingeniosâ elocutione, quem inscribit eam ob causam *Pandochiale Aristotelicum*, quo omnia complexus est, quæ ad artem Inscriptionum, Apophthegmatum, Symbolorum, &c. pertinent, aliâ quâdam ratione, quàm *Maseni*. Subtilior in principiis argutiarum ponendis Autor ille est, quam *Maseni*, imò plus, quàm æquum est: quorum enim illæ de argutiis sollicitæ distinctiones, in divinas, angelicas, naturales, animales, humanas, quæ declamanti videntur aptiora, quàm artis præcepta danti. Cæterum quæ de conceptibus rerum argutis in principiò Commentationis suæ prolixè producit, egregia sunt, & Philosophicam *Alexisæ* sapiunt. Mihi certè optima illa ratio visa est, quâ proponerentur talia, ideoque in nonnullis ipsum sequemur; quemadmodum scil. conceptus de rebus sunt vel secundum rei veritatem,

vel secundum similitudinem, idque secundum tres mentis operationes; ita & hic vel *simplici verbô*, quod ad *primam mentis operationem* pertinet, argutiam comprehendimus; vel *sententiâ*, quod ad *secundam mentis operationem*; vel *Enthymemate* sive argumentô, quod ad *tertiam mentis operationem* spectat. Quemadmodum jam in veris mentis conceptibus vel nominamus rem, ut est, vel effatum aliquod formamus, ut natura ipsa copulat, vel argumentamur; ita & in argutâ dictione, quæ tota in Iconismô sive in similitudine rerum consistit, non proprio, sed translato nomine rem appellamus, vel similia de dissimilibus, dissimilia de similibus argutè prædicamus, vel expositâ unâ sententiâ dissimile aliquod & *ὡδῶδοξον* cogimus, quod Enthymema argutum est cuius rei exempla plurima infra subministrabimus. Atque horum conceptuum quasi administræ sunt figuræ, tam Grammaticæ, quam Rhetoricæ: illæ simplicium verborum, hæ sententiarum & enthymem.





thymematum; tum & Loci Dialectici  
 vel decem Categoriae, aut quaecunque  
 aptior rerum combinatio. Indicem  
 Categoricalum semper hic pro regulâ &  
 normâ cogitationum argutarum adhi-  
 bet *Emanuel Thesaurus* in opere illô no-  
 bis laudato, cui ultra 40. annos insuda-  
 vit teste *Octaviô Boldonô*. Id sane cer-  
 tum est, è recentioribus nullum fuisse  
 majorem artificem argutarum, sed qui  
 tamen, dum arti nimis studet, id vi-  
 tium incurrit, quod familiare solet  
 esse acutè scribentibus, frigus scilicet.  
 Exempla verò illa inscriptionum, quæ  
 singulari librô primùm in Italiâ, nuper  
 in Germaniâ sunt recusa, admirabili  
 interdum acumine, & vix aliis cogita-  
 to, se offendunt, ut æquum sit condo-  
 nare illi, quæ interdum occurrunt vitia.  
 Idem dixeris de Panegyricis istius Ita-  
 licâ linguâ scriptis, pleni sunt illi acu-  
 minum, ita ut ex densitate illâ insuavis  
 nonnunquam fiat oratio & frigida.  
 Occasionem dedit aliis nonnullis, qui  
 Latinâ Linguâ orationes scripserunt, ut

multa ex illò, dissimulato autoris nomine, transcriberent. Novissimè demùm *Polonus* quidam *Suadam civilem* scripsit, cui subjecit nonnulla de argutis orationibus, easque scribendi modò: sed confundit omnia autor ille, neque ulla solida rebus suis fundamenta sternit. De *Inscriptionibus & Elogiis* seorsim scripsit *Octavius Boldonus*; Liber vastus est, in quem penè omnia Rhetorices Præcepta & peregrinas disceptationes sine ulla necessitate congeffit. Exemplis quoque congerendis magnam impendit operam, sed parum rei illi inest, ut exiguo librò comprehendi omnia possint, quæ ad argumentum propriè spectant. Titulus libri est: *Epigraphia, sive Elogia inscriptionesq; pangendi ratio. Mediol. 1665.* Spectant & huc, qui de Epigrammatum confectioe aliqua traderunt, quorum anima est argutia. Inter eos est *Scaliger L. 3. Poëtices c. 125. p. m. 329.* qui paucula aliqua præcepta dedit, nec satis accurata, neque ad docendi methodum rectè instructa. Di-

stin-

stinguit enim Epigramma secundum genera, præcepta vel ideas quatuor ; unam, in quâ fœditas ; alteram, in quâ fel ; tertiam, in quâ est acetum ; quartam, in quâ est fal ; quod est certè poetari in præceptis. Hanc doctrinæ rationem secutus est recentior quidam, autor Gallus, *Nicolaus Mercerus in Lib. de conscribendò Epigrammate*, quod ipse autor *curiosum opus* vocat. Summa illa Scaligeri ponit, atque iis exempla subjicit. Cæterum & locos Dialecticos & figuras in subsidium vocat, atque inde argutias venatur. Liber editus est Parisiis anno 1653. in 8. Scripsit & alius quidam *Carolus à S. Antonio* de arte Epigrammaticâ, qui tamen potissimum ad figuras rem omnem deducit, & paucula præterea addit non magnæ rei. Novissimè *Franciscus Vavassor*, vir doctissimus, de *Epigrammate* librum conscripsit, in quò pauca de origine acuminis & de generibus acuminum tradit, sed docta admodum & erudita. Autor ille in librò istò vix locum concedit  
acu-

acuminibus, nisi quæ ad genium Augustei ævi sint accommodata; argutam enim dictionem potius vitio linguæ latinæ imputat, quàm virtuti, hanc inclinante primùm eloquentiâ Romanâ viguisse; quâ ratione etiam in Ovidio declamatorias aliquas argutias reprehendit, quod & ante ipsum fecerat *Victorius*; cui tamen iudicio meum, per omnia, calculum non addo: nam certè non est adjudicanda omnis elegantia argutæ dictioni, quæ tempore Augusti viguit: & delicatus mihi nimium videtur, qui locum illi concedere recuset, modò vitemus prærupta illa affectata atque frigida, qualia certè nemo in Ovidio ostenderit. Hanc ob causam, *Martialem* quoque *Muretus* rejecerat, longè illi *Catullum* præferens; cui, meo iudicio, ut ratione puritatis & nitoris Romani præferendum puto: ita quod acumen & argutiam spectat, contemnendum arbitror, quibus omnes *Catulli* conatus vicit. Idem *Vavassor de ludicrà dictione* librum scripsit singulari-  
rem

rem  
bus  
bus  
Ro  
ac  
nu  
ille  
qu  
Ro  
tu  
qu  
fla  
di  
ced  
ma  
cea  
mu  
Ille  
cep  
lari  
pla  
tio  
tò  
ut  
fcis

rem, in quò jocandi rationem è veteribus exponit, & e singulis seculi autoribus demonstrat, quinam sales sint verè Romani, deceantque latinam linguam, ac quomodo per intempestivos acuminum affectatores sint consumti, quam ille Hispanis corruptelam adscribit; quâ ille censurâ, ut vindicat nitorem Romani Eloquii, ita injurius aliquantum est in bonos autores Hispanos, qui, quanquam peregrinitatem aliquam afflarint Latino sermoni, argutæ tamen dictionis virtute triumphant, cui si accedat temperamentum venustatis Romanæ, morosior profecto erit, cui displiceat hoc dictionis genus, si rectè eò utamur tempore opportunò, locò comòdò. Ille verò librum hunc scribendum suscepserat, ut impugnaret aliquem popularium suorum morbum, qui mirè sibi placuere joculari & ridiculâ aliquâ dictione, quam illi *durlesque* vocant: totò enim hòc librò nil aliud agit, quàm ut monstret, inauditam hanc fuisse priscis seculis barbariem, quâ tamen in-

fen-

sententiâ falli ipsum monstravit *Gilbertus Huberus observat. L. 1. c. 10.* illic enim antiquis quibusdam mimis & histrionibus in usu fuisse tale dicendi genus, quod *Phlyacographiam* vocant, plurimis autorum locis ostendit, ac nominatur ab eò *Rinthon* quidam, qui teste *Stephanô, de urbibus in voce Taras*, res serias traducens transformârit in ridiculas. In librô verò de *Epigrammate Vavassor* non alia acuminum artificia commendat, quàm loca oratorum & figuras, sed nihil ab eò definitur certis præceptis, quæ præcipuè tamen expectabam; quæ ille *Epigrammatum* exempla proponit, latina quidem sunt, nec omninò humilia aut invenusta, sed principe illâ virtute argutia multum aliis concedunt. Sunt & alii nonnulli, *Thomas Choraus, Cottunius, Casumius*, qui de arte *Epigrammaticâ* libros conscripsère; sed cum eorum libros non viderim, non liquet quid de illis judicandum.

SECTIO

PR

AV

A

anti  
mis

ta,  
fed

Lun  
græ

Poë  
Cice

res  
stot

ro u

SECTIO I.

DE

PRINCIPIIS ARGUTÆ  
DICTIONIS.

C A P. I.

De

*Argutiarum nominibus, earumque fundamentò Metaphorâ.*

**A**rgutiarum nomen, quanquam ar-  
earum ignota, notum tamen fuit  
antiquis, & multis vocabulis Synony-  
mis expressum. *Aristoteles* vocat *ἀνυπα-  
τα*, quam vocem alii verterunt *Figuras*;  
sed aliquid amplius significat. *Cicero*  
*Lumina orationis* interpretatur, addens  
græcam illam vocem. *Aristoteles in*  
*Pœticis* c. 22. vocat *κόσμον* sermonis.  
*Cicero concinnitatem & ornatum*: *Vene-  
res Quintilianus* vocat & *Demetrius. Ari-  
stoteles* 3. *Rhet.* c. 10. *ἀστειαν* vocat, *Cice-  
ro urbanitatem*; ac **URBANUS** ille di-  
ce-

cebatur, qui facetus erat, & ad acumina  
 invenienda promptus; de cujus vocis  
 acceptione videri potest *Henricus Ste-*  
*phani in dissertatione de variis Epistolarum*  
*generibus Ciceronis.* Opponitur illi RU-  
 STICITAS, qua præditos, vocat *Ca-*  
*tullus, plenos ruris & infœctiarum.* Plures  
 aliæ occurrunt appellationes apud bo-  
 nos autores, in quibus recensendis tem-  
 pus non occupabimus. Procedamus  
 nunc ad ipsius artis fundamenta, de  
 quâ, ut vidimus, frustra dubitatum  
 est: nam & hîc eadem occurrent argu-  
 menta, quæ *Dionysius Longinus* πει-  
 ῖψης pro arte illa firmandâ adducit.  
 Nam majori quidem ex parte liberam,  
 & sui juris, non tamen expertem me-  
 thodi, esse dicit; quandoquidem enim  
 ars naturam ducem sequitur, hæc ta-  
 men artis ministeriô necessariô utitur.  
 Primum argutiarum fundamentum est,  
 quod & omnis poëticæ dictionis & τῆ  
 ῖψης in sermone, METAPHORA,  
 phantasiis & idolopœjis ingenii nostri  
 subnixa. Quam enim requirebat *Lon-*  
*ginus*

gin  
 illa  
 rit  
 ait  
 th  
 ad  
 Po  
 arg  
 ru  
 po  
 re  
 fat  
 ip  
 qu  
 ex  
 re  
 po  
 dar  
 faci  
 mu  
 Ha  
 Rh  
 nis  
 me  
 sua



ginus ad *ὕψος* orationis phantasiam, illa & hic est necessaria; illam peculiariter sublimi dicendi generi convenire ait, cum ea, quæ dicuntur, quasi ab entusiasmo proficisci videantur. Quemadmodum verò *Longinus* Rhetoricam à Poëtica Phantasiâ distinguit, ita & nos argutæ dictionis Phantasiam à reliquarum idearum phantasiâ distinguere possumus. Unum certè fundamentum rerum *εἰδωλοποιία*, quæ animo observatur: concipimus enim rem, vel ut ipsa est, vel sub imagine alterius rei, & quæ ipsi similis est, & quasi typum, exhibet alterius rei. Pictores ea in re imitati, qui imaginem nobis proponunt ad rem aliquam significandam. Quod itaque pictor coloribus facit, figurâ, proportione; id animus noster conceptu, simili & analogo. Hanc Metaphoram sive translationem Rhetoricus vocat unum omnis locutionis oratoricæ, poëticæ argutæ fundamentum. Super illa *Aristoteles* omnem suam de Elocutione doctrinam exstru-



xit ; qui eò nomine 'omnia' dictionis  
 schemata complectitur , quam postea  
 Rhetores cœteri per minutiores divi-  
 siones distraxère. *Aristoteli* enim o-  
 mne , quicquid non propriè denotat  
 rem, Metaphora est sive translatio , sed  
 non satis ordine omnia distinguit, quæ  
 ad hanc doctrinam pertinent. Redi-  
 gemus itaque nos in ordinem , ut pa-  
 teat, ea, quæ *Aristoteles* fortuitò disse-  
 ruisse videtur, ductu ipsius naturæ , &  
 rationis ita definiri posse. Requisita  
 Metaphoræ ab *Aristotele* posita sunt , è  
 quibus cognitio patebit, quid propriè  
 per hanc vocem intellectum voluerit  
*Aristoteles*. Vocanda autem hîc in-  
 subsidium sunt, quæ prolixè admodum  
 in poëticiis suis de translationibus dis-  
 seruit, ubi maximè locus illis erat ; ani-  
 ma enim poëticæ dictionis est translatio.  
*Aristoteles l. 3. c. 10.* ubi de oratione ur-  
 banâ præcepta suppeditat, brevissimè  
 complexus videtur, quæ ad doctrinam  
 de argutiis pertinent. Hunc itaque  
 quasi generalem canonem subministrat,  
 ut

ut  
 cog  
 cum  
 ger  
 aut  
 sup  
 inc  
 sup  
 vo  
 nes  
 bu  
 tet  
 int  
 qu  
 vo  
 un  
 et  
 lan  
 que  
 ait  
 adr  
 gri  
 mn  
 Ari  
 hil

ut verba illa sint, quæ novam aliquam cognitionem animo proponunt. *Quæcumq;*, inquit, ille, *è verbis velocem nobis ingerunt disciplinam, ea suavissima sunt*, id autem translatio facit. Exemplum ipse suppeditat Aristoteles: *Vox Senectutis*, inquit ille, non est urbana aut arguta, sed superficialis. Superficiales enim vocat voces vel proprias, vel eas translationes, quæ pari passu cum propriis ambulant, in quibus nihil quærere oportet, quare vox illa non repræsentet aliud intellectui nostro objectum, quàm illud, quod nobis cognitum est. Verùm, si vocemus *stipulam*, vox urbana erit, quia uno in subjecto diversa proponit objecta, ut senectutem caducam, & stipulam siccam & defloratam. Nova itaque ex illâ re oritur mihi disciplina, ut ait Aristoteles, quæ per se delectat, & admirationem gignit, & decoram peregrinitatem orationi conciliat, in quâ omnem Elocutionis elegantiam ponit Aristoteles: Propria enim verba, si nihil in se habent sententiarum, rarò ad animum

nimum admittuntur; translata statim, cum audimus, animum exercent in cogitandō, ut novas rerum ideas formet. Sic e. g. cum dico, *Prata amœna sunt*, nihil aliud intellectui quàm viriditatem illorum sisto, si dixerim, *Prata rident*, videor mihi videre terram ut hominem animatum, pratum ejus faciem, amœnitatem ejus risum lætum. Atque ita unicō in verbō quasi transparent omnes illæ notiones generum differentium, terra, pratum, amœnitas, homo, risus, lætitia, ac statim quasi reciprocantur in intellectu nostrō similitudines inter faciem humanam & pratum, quæque deinde ex notionibus utrinque concipi possunt ideæ, ut possunt sanè multæ concipi ex unicâ hac voce translata, ut postea dicemus, cum ad imitationem argutam perveniemus. Atque hæ Metaphoræ καὶ ἐπέχειαν Aristoteli dicuntur, quibus nihil est venustius & admirabilius in oratione; quare præcipuè ad τὸ ὕψος orationi conciliandum conducunt, ut monuit etiam

etia  
coet  
ver  
ego  
sem  
lum  
fluv  
Req  
tran  
fice  
resi  
re.  
quã  
voci  
tegr  
g<sup>o</sup> V  
III.  
qua  
long  
dus  
mus  
Tale  
inge  
oriu



etiam *Longinus*; & cum Poëtæ illud præ  
cæteris quærant, illæ translationes hic  
velut in regno suô dominantur, quales  
ego præ cæteris seligendas & notandas  
semper suasi: sunt enim quasi colores &  
lumina carminum, ut cum *Virgilius* de  
fluviô dicit: *Pontem indignatus Araxes.*

*Alterum* translationum acuratarum  
Requisitum est **BREVITAS**, ut scilicet  
translatio quasi unâ voce constipetur;  
sic enim magis apta est animo singula-  
res ideas sistere ac admirationem gigne-  
re. Si enim e. g. Metaphoram illam,  
quâ Aristoteles senectutem stipulam,  
vocat, evolvat comparatione aliquâ in-  
tegrâ, Metaphoræ nomen perdet ac *Ima-  
go* vocatur. Quare & Aristoteles *Lib.*  
*III. c. 10.* imaginem minus suavem ali-  
quam translationem vocat, quoniam,  
longior est; quare delectus instituen-  
dus est in Metaphoris, ut eas adhibea-  
mus, quæ unâ voce multa continent.  
Tales verò seligere summi iudicii atque  
ingenii res est, quo ex defectu pleraque  
oriuntur dictionis vitia.

*Tertium* Metaphorarum Requiritum DECORUM est; Non enim eadem omnibus rebus conveniunt: quanta enim rerum, tanta etiam Metaphorarum sunt discrimina. Subjecta *illustria* habent Metaphoras illustres, ut cum *Ovidius* vocat cœlum *Regiam Solis*; Si vile subjectum, viles etiam sint Metaphoræ, ut cum *Plautus* lenonem dixit *sterquilinium publicum*, *Scaliger* meretricem *cloacam civitatis*, *Laberius* vetulam aliquam impudicam, *grunnientem scropham*; Si subjectum *horribile*, horribiles Metaphoræ conveniunt, ut cum *Catilinam Cicero* vocat *pestem patriæ*; & cum *Tiberius* de *Caligula* dicit, se *Phaëtontem orbis terrarum* educare; Si res *amœna* sunt, suavia etiam debent esse translata; si *pathetica*, translata quoque pariter; Si subjecta *exaggerationes* requirunt, admittuntur metaphoræ enormes & monstrousæ, quales occurrunt apud *Plautum in Milite glorioso*. Ex adverso in *extenuationibus* rerum tenuia debent adhiberi; si *ridicula* argumenta sunt, ridicula

pos-

possunt concipi translata, quod obtinetur potissimum, si rebus vilibus & ludicris magnificæ & illustres apponantur Metaphoræ: nihil enim magis ridiculum efficit, quam illa conjunctio, ut si infanti Herculis calceos addas, vel pygmæo vestem Longurionis; ut cum quis culinam vocat *tribunal coquinarium*, aut cum Plautus dicit: *Tu qui Vulcanum in cornu conclusum geris*. Et talia quidem translata elegantia sunt, si ideò adhibeantur, ut risum moveant: sin verò seriò talia admittantur, totam orationem ineptam faciunt. Apud Comicos & Satyricos regnat illud translatorum genus, & illis præcipuè hoc accommodandum. Extra hunc campum non est illis locus. Illis translatum aduersum est, cum res seriæ & illustres efferuntur translatis vilibus & ludicris, quod dicendi genus Galli vocant *durlesque*, quod totum est ad scurras relegandum. In rebus, quæ acumen desiderant, ut sunt Epigrammata, Satyræ & similis generis scripta, com-

mendantur Metaphoræ argutæ & quodammodo longinquæ: Non enim simpliciores Metaphoræ argutam statim dictionem faciunt, sed eæ demùm, quæ ingenium tectius habent, quod eò magis delectat, quò ex ex longinquò ferit intellectum, ut oculos delectant opera ad artis optiçæ regulas confecta. Harum Metaphorarum plenus est *Martialis*, *Juvenalis*, *Plautus*, qui tamen interdum frigidior est paululum. Debet autem longinquitas illa in Metaphoris excurrere in infinitum, ut & in operibus illis, quæ perspectiva vocantur: Sed & tamen quædam vicinia iudicii perspicacitate definienda, quæ tamen res præceptis comprehendere non potest; usus, observatio, Iudicium hinc optimi præceptores e. g. *Martialis* poemata inepta vocaturus, vocat *scombris donanda*, longinquâ quædam metaphorâ sed elegantis: nam per *scombros* intelligit pisces illos, qui chartâ tegi solebant, ad quam aptissimam dicit chartam inepti Poëta. Alibi vocat *togam conditorum*.

& pe  
scrip  
prop  
quo  
est &  
est P  
enim  
& ha  
enin  
tate  
*Rhet*  
man  
tem  
verò  
tur,  
re si  
tur,  
ging  
offur  
illud  
canc  
totâ  
artis  
non  
mile

&



& penulam olivarum. *Menagius*, recens-  
 scriptor, corrumpi etiam dicit merces  
 propolarum à carminibus inepti poëtæ ;  
 quod *Martialis* acumine longinquiùs  
 est & elegantius. *Quartum* requisitum  
 est PERSPICUITAS ; quemadmodum  
 enim lumen statim oculos percellit, ita  
 & hæc lumina orationis animum. Cùm  
 enim tota elocutionis virtus perspicui-  
 tate definiatur, teste *Aristotele Lib. III.*  
*Rbetor. c. 2.* necesse etiam est, potissi-  
 mam argutarum Metaphorarum par-  
 tem esse perspicuitatem. Perspicua  
 verò etiam memoriâ faciliùs retinen-  
 tur, ut ait *Aristoteles Lib. III. c. 9.* Qua-  
 re si perspicuitatem hanc non assequi-  
 tur, aut in Metaphora indecoram lon-  
 ginitatem sectatur, pro luce tenebras  
 offundet intellectui. Requisite autem  
 illud cum quadam extensione appli-  
 candum est ænigmaticis Metaphoris, in  
 totâ illâ re perspicendus ultimus finis  
 artis oratoriæ, qui persuasio est, quæ  
 non obtinetur, nisi eò, quod est verosim-  
 ile, cui repugnat omne illud, quod  
 B 3 est

est contra naturam vel affectatum. Quare Aristoteles non Enthymemata tantum, quæ ad essentiam quasi orationis pertinent, vult esse *πῆλυνά* ac verosimilia: sed & figuras, elocutionem, vocem, gestum vult esse verosimiles ac oratori accommodatas; ideò quæ sunt improprie Metaphoræ, ridiculæ, tumidæ, longinquæ, Aristoteli ab oratione rejiciuntur: frigus enim illi conciliant, de quò tertiò totò capite lib. III. agit. Sed & illa lex restringenda potius est ad materiam orationis, quàm orationem ipsam; nam occurrunt in oratione aliqua, in quibus ridiculæ Metaphoræ non dedeçant, ut nonnunquam adhibuit ipse Cicero, cùm res ita ferret. Observabimus *Aristotelis Lib. III. Rhet. c. 2. monitum: danda est opera, ne videamur sicut dicere, sed ut nobis distinet ipsa natura: sic enim erit probabilis oratio.* Quod si itaque decorum observandum est in Metaphoris, id etiam ratione varietatis in oratione debet attendi. In Panegyricis enim frequentio-

res

res &  
esse  
mag  
poë  
gyri  
le p  
quã  
mag  
nere  
rati  
unt  
men  
cat  
min  
daci  
quã  
tem  
idci  
mus  
vel  
tii in  
forta  
part  
buit  
Lib.

res & vivaciores illas scil. καὶ ἐνεργεσιαν  
 esse oportet, ac quodammodo poëticas  
 magis, quàm in oratione forensi; in  
 poëmate sublimiores, quàm in Pane-  
 gyricò, cùm enthusiasmus eas sibi vel-  
 le putatur; in tragœdiâ feraciores,  
 quàm in aliò poëmate, in Comœdia  
 magis ridiculas & viles; in Lyricò ge-  
 nere aliquantum tumidas. Apud Ho-  
 ratium multæ in odis & Satyris inveni-  
 untur Metaphoræ, quas Epicum car-  
 men respuit. Ita cùm ille navem vo-  
 cat *Sylvæ filiam nobilem*, in Epicò car-  
 mine temerè hoc non imitandum; au-  
 dacius enim & tumidius dictum est,  
 quàm decet heroici carminis gravita-  
 tem & modestiam, ut reprehendus  
 idcirco sit *Rapinus*, Poëta elegantissi-  
 mus ac penè Virgilianus, qui arborem  
 vel de horti culturâ ita vocat ad Hora-  
 tii imitationem. Quam vocem etiam  
 fortassis Horatius Græco Poëtæ, qui hac  
 parte licentiam majorem affectavit, de-  
 buit. Eam ob causam *Buchnerus in*  
*Lib. de commutata dicendi ratione*, non

nisi in Satyrâ probat, quod de nubibus  
*Varro* dixit, *aquam vomentes mortalibus*,  
 quod inhonestum id impurumque sit;  
 in quô tamen illum falli puto: nam &  
*Virgilius* in re honestâ usus est hâc voce:  
*manè salutantum, totis venit adibus un-*  
*dam.* *Claudianus* de fluviô auriferô:  
*aurea dona vomens.* *Longinus* quoque  
*περὶ ὑψ. c. 2.* Græcum Poëtam re-  
 prehendit; qui de monte igniferô di-  
 xerat, *in cælum vomere*; sed uterque  
 fanè fallitur, neque enim hîc res, de  
 quâ dicitur, adeò illustris est, ut ver-  
 bum, quod sordidum quodammodò vi-  
 detur, respuere debeat, tum & illa *Vir-*  
*gilio* autoritas, etsi secus esset, obstat  
 tam moroso iudicio. Aliter fanè acci-  
 pienda est ita fluvivaga Metaphora,  
 quâ dixit: *Jupiter hyernas canâ nive*  
*conspuit alpes*: meritò irrisus ab *Hora-*  
*tio* & *Quintilianô*. *Seneca* quoque Tra-  
 gicus hâc voce alicubi frigide admo-  
 dum usus est.

Abunde jam, ut puto, intelleximus  
 quid sit, & in quô consistat Metaphora,  
 cujus

cujus si vera est definitio, ita illa infor-  
 mabitur, quod sit *vox peregrina statim si-*  
*gnificans objectum per rationem alterius.*  
*Aristoteles de Poëticâ c. 21.* rudi vocis  
 descriptione contentus translationem  
 descripsit *alieni nominis elationem.* Eô-  
 dem in locô divisiones Metaphoræ cer-  
 tas constituit, in quâ tamen ejus me-  
 thodo tam Græci, quâm Latini Rhetor-  
 es aliquid desiderant, qui majori dili-  
 gentiâ distinguere eas visi sunt. Suf-  
 ficiet tamen nobis illa doctrina, quan-  
 tum ad institutum nostrum pertinet.  
 Neque tamen omnia, ut in suam rem  
 interpretatur *Emanuel Thesaurus*, ita  
 inveniuntur apud Aristotelem. Quam  
 enim *Æquivoci & Laconismi* Metapho-  
 ram facit, eam disertô Metaphoræ no-  
 mine non appellat Aristoteles, nisi for-  
 san ad generalem illâ descriptionem  
 referat, quâ Metaphora nominis alie-  
 ni illationem significat. Prima Meta-  
 phora Aristoteli est *Similitudinis*, quam  
 vocat *speciei ad speciem*, vel secundum  
 aliquid quod proportioni respondeat.

Exemplum ejus Metaphoræ ab unâ specie ad aliam Aristoteli est, si voces Clypeum, *phialam Martis*, & è contrario *phialam clypeum Bacchi*. Phiala enim & clypeus sunt duæ species sub unô genere rotundo. Altera similitudinis metaphora est inter res duobus generibus diversis subjacentes, & ab unô genere summô analogô dependentes; atque hæc dici potest *Similitudo secundum analogiam s. proportionem*. Et tales Metaphoræ Aristoteli *Lib. III. Rhet. c. 10.* maximè probantur: e g. genus summum analogon est duratio temporis; genera subalterna ætas humana, ætas anni; species analogæ juvenus, ver; Itaque commutatâ proportione Ver vocare possumus *juventutem anni*, & *juventutem ver ætatis humane*. Sic eâdem analogiâ vocat Aristoteles *senectutem vitæ occasum*, *vitæ vesperam*, *vitæ stipulam*. Ex hoc fonte omnium optimæ oriuntur Metaphoræ, & argutus stylus contrahitur. Mentem Aristotelis fusiùs declarant, & schematismis

ob

ob oculos ponunt *Franciscus Robertellus*  
*in Arist. librum de poët. p. 249. & Buch-*  
*nerus lib. de commutatâ ratione dicendi c.*  
 2. Secunda Metaphoræ species fe-  
 cundum Aristotelem est à specie ad ge-  
 nus, & à genere ad speciem, quam *Synec-*  
*dochen* recentiores Rhetores appellant.  
 Earum fundamentum non est in simi-  
 litudine sed unitate; ut si per *alpes* qui-  
 cunque montes intelligantur, *Marsum*  
*aprum* quicumque aper; quæ transla-  
 tio poëtæ valdè est familiaris. Contrà  
 cum nomen genericum ponitur speci-  
 ali locò, ut cum Virgilius equum Tro-  
 janum *fatalem* vocat *machinam*. At-  
 que hæc Metaphoræ omnes fundamen-  
 tum habent in unitate, quæ extendi ul-  
 teriùs possunt, quoniam omnes res, quæ  
 adjacent, de se prædicari possunt, per  
 analogiam, & quidem per alteram ejus  
 speciem, quam vocant Dialectici *attri-*  
*butionis*. Oriuntur ex hoc fonte mul-  
 ta hieroglyphica, Symbola, emblemata.  
 Tertia Metaphoræ species *ab equivoca-*  
*tione* est, quam *Emanuel Thesaurus* talem

constituit, ex Aristotele colligi non potest, qui æquivocationem sub errore sive deceptione comprehendere videtur, cujus tamen diversas species constituit *Theſaurus*. *Maxima pars*, inquit Aristoteles, *urbanorum dictorum, à translatione & ab errore proficiscitur*. Est autem Metaphora hæc æquivocationis à prioribus admodum diversa: nam ut illæ ex differentiâ conceptuum mutant nomen, ita hæc ex unitate nominis mutat conceptum, ut quæ tu cum dicas improprie, ego proprio sensu intelligam & vice versa. Exemplum ejus est apud Aristotelem *Lib. II. Rhet. c. 23. incis. 100. Leges Draconis legislatoris non hominis sunt Leges sed Draconis*; quas alius dicit, *non atramento sed sanguine civium scriptas*; quæ est Metaphora attributionis, sumendo effectum pro causâ, quoniam atramentum illud causa fuit effusi sanguinis civium. Prius exemplum de Dracone optimè huc quadrat. Vox enim *Draconis* generica est, sub qua continentur species æquivocæ, Draco legislator, Draco fera. Pertinet huc jocus ille  
 Plau-

Pl  
v  
ter  
ta  
M  
ar  
tu  
&  
æq  
lib  
diu  
Hy  
bea  
qua  
qu  
Ar  
dix  
la  
qui  
Jan  
bet  
den  
ève  
rim  
ait



Plautinus, cùm domum suam *illustrem* vocat aliquam, quam venti perflare poterant. Pertinent huc multa ænigmata, quæ miram venustatem ex hæc Metaphorâ acquirunt. Itali in harum argutiarum, quæ ex æquivocô petuntur, inventione sunt argutissimi. Est & non nemo autor Gallicus, qui talium æquivocorum emblematum integrum librum conscripsit, qui se vocat *Achoridium*. Quarta species Metaphoræ est *Hypothesis*, quæ consistit in eô, ut exhibeatur ingenio objectum aliquod, & quasi vivis depingatur coloribus; quorum pertinent Metaphoræ, quas Aristoteles vocat κατ' ἐνέργειαν, e. g. si dixeris: *ille habet animum adversus mala quæcunque quadratum*, Metaphora quidem proportionis est, sed paulò languidior; sed si ita dixeris: *ille habet animum lætantem adversis*, erit quidem idem significans, sed cum actu & ἐνέργειᾳ. Earum Metaphorarum plurimæ sunt apud Poëtas, ut cùm Ovidius ait; *Bella gerunt venti fretaque indi-*

*gnantia miscent.* Exempla plurima vi-  
de apud *Aristotelem Lib. II. Rhet. c. 10.*  
Altera hujus metaphoræ species est,  
quâ repræsentatur objectum non per  
actionem aliquam, sed per sensûs, aut  
objecta sensibilia ratione coloris, soni,  
odori; quemadmodum enim circum-  
stantiæ vehementer sensibiles movent  
sensûs exteriores, ita imaginativam in  
nobis facultatem intendunt, & per hanc  
mentem movent, ut in illâ speciei ipsâ  
in voce addatur actio & histrionicum  
aliquid. Tale autem quid præ se fert  
vox cum actu conjuncta. Ita hîc à spe-  
cie externâ τὸ ὕψος vocis quæritur:  
ad illud enim orationi conciliandum  
nulla est efficacior Metaphora, ut notat  
*Longinus.* Pertinet huc, cùm Plautus  
aliquem vocat *animam fœtidam & senem  
bircofum.* Quinta species *Hyperbole* est,  
commendata quoque *Aristoteli Lib. III.  
Rhet. c. 11.* eò modò diversa ab Hypo-  
typosi, quod hæc laboret in vivacitate  
rei concilianda: illa in magnitudine;  
hæc in perspicuitate & claritate rei oc-  
cupa-

cu  
tin  
mo  
cir  
mu  
Po  
tas  
exp  
per  
nu  
qu  
de  
c. 3  
qu  
ut  
tur  
po  
Ar  
bu  
ph  
mu  
J.  
cu  
ban  
dici

cupatur, illa admirationem parit. Pertinet huc, cum Virgilius dicit, *instar montis equum*. Versatur eadem figura circa quantitatem etiam discretam, ut si multa pro uno ponas, quod frequenter Poëtae faciunt, suntque infinitae apud Poëtas formulæ, quibus numerum magnum exprimunt, quæ & huc pertinent. Hyperbolæ contraria est Meiosis s. extenuatio; quò pertinent diminutiva, quæ vel malum vel bonum minus videri faciunt, ut ait *Arist. Lib. III. Rhet. c. 3*. Quales voces in Satyrâ & ubi aliquid perstringimus, bene conveniunt, ut cum hominem ornatui nimis deditum vocamus rimatulum, complutum, politulum, aut doctorem doctorculum. *Arist. Lib. III. c. 2. Rhet. incis. 26*. pluribus de hac figurâ agit. Sexta Metaphora à *Thesauro* constituitur *Laconismus*, quam ex *Arist. Lib. III. Rhet. c. 11. §. 14*. exstruit, ubi hæc ejus verba occurrunt: *Apophtegmata ex eò sunt urbana, quod aliud significant, quam verba dicunt*. Sed re ipsâ à Metaphorâ æquivoca-

VOCA-

vocationis aut deceptionis hæc non differt, nisi solò illò brevitatis cujusdam Laconicæ adjunctò. Unde ad facta se plerunque solet referre. Quibus conveniunt *Apophtegmata*, quæ propterea ab Aristotele *Laconica* dicta appellantur *Lib. II. Rhet. c. 21. num. 21.* Tragediæ quoque tales figuræ inprimis conveniunt, & invenies apud Græcos Tragediæ scriptores multos & Senecam. Pertinent huc verba illa, quæ Græci *scommata* vocant; Itali *morsu piccanti*, dicta mordacia. Ejus generis erat diciturium cujusdam Itali affidentis uxori cornuti cujusdam, cui nares stillabant sanguine: custodi adamantes tuos, ne sanguine illo macerentur; quò hircum illum innuere volebat, cujus sanguine adamantes molliiri dicuntur, Sed hoc paulò longius petitum videtur. Septima Metaphora *ex oppositione* est, valdè laudata Aristoteli *Lib. III. Rhet. c. 10. §. 10.* quæ & vim enthymematicam habet, *Lib. II. Rhet. c. 24. §. 6.* habet ergò figura illa

præ-

præter acumen significationis in conceptu propositionem verborum, quorum alterum auribus, alterum intellectui blanditur. Apud Aristotelem elegantissima forma oppositi est, cum eadem vox bis ponitur diversò sensû, ut illud *Lib. III. Rhet. c. 11. §. 23. non oportet hospitem semper esse hospitem*, ubi prima significatione notat forenses, alterâ ignorantem. Sed & præterea huic oppositioni mixtum vides æquivocum, cui exemplo addas licebit, quæ quasi æquivoca videtur, ut alliterationes, anagrammata. Quod si verò harmonia illa vocum non observetur in oppositione, quanquam res eadem dicatur, vis tamen & pulchritudo sententiæ perit, ut in exemplo illò Aristotelis *Lib. III. Rhet. c. 11. incis. 26. dignum est mori, antequam sis dignus mori; major est gratiâ, quàm in illò: dignum est mori cum innocens es; quamvis idem sensus. Sic e. g. cum de muliere cerussatâ dixeris: rubescit, sed non erubescit, longè elegantius hòc est, quàm si dixeris ita: rubescit, sed non habet pudorem,*

rem, licet unus idemque sensus sit. Sic e. g. si de homine parcô & avarô dicas: *ma vult laudare, quàm dare*; oppositio elegantior longè est è verborum affinitate, quam ubi tollas, gratia dicto perit. Altera pulcherrima oppositionis metaphoricæ species est, quam *Aristoteles* docet *Poët. c. 21.* cùm nomini afferimus alienum quippam, aliquid ejus proprium ab eò removentes, ut si positivo aliquid jungatur negativum, ex quâ Metaphorâ *Masenius* peculiare argutiarum fontes fecit, Locos scil. Repugnantium & alienatorum, ubi perbella inveniuntur Epigrammatum exempla, quæ ad hanc figuram sunt reducenda. Quo pertinent etiam opposita illa privativa, ut *mens amens, insana sapientia, erudita ignorantia.* Pertinent quoque positiva impossibilia, aliis positivis juncta, ut cùm *Lucretius* vocat mare *campos natantes*: *Virgilius*, *campos liquentes*, ut vice versâ aliquis aquas *nitidos crystallos* vocare potest. Quæ quanquam inter se non quadrent,

ob

ob similitudinem tamen aliquam jun-  
guntur, è quâ figurâ exstrui possunt æ-  
nigmata argutissima. Pertinent huc,  
cùm contraria rebus nomina imponi-  
mus, ut cùm pygmæum vocamus gi-  
gantem, & vice versâ: vel si indivi-  
duum negemus de individuô, ut cùm  
Virgilius ait: *ô verè Phrygia! neg; enim  
Phryges*, & apud Ovidium: *ô mater,  
jam non mater!* Octava ultimaque Me-  
taphora est *per deceptionem*. Arist. Lib.  
III. Rhet. c. II. incif. 13. *Maxima pars  
urbanorum dictorum à translatione &  
errore proficiscitur*. Figura hæc, quam-  
vis etiam ad æquivocum referri possit,  
aliâ tamen etiam ratione distingui pot-  
est. Virtus enim ejus in eô consistit,  
ut objectum aliquod animo sistatur, ac  
conceptus aliquis inde formetur, quem  
tamen falsum esse postea deprehendim⁹  
cum finitur sententia. *Paradoxon* Græ-  
ci vocant. Illuc pertinet illud *Mar-  
tialis*, cùm ait: *Coramum è vineâ suâ  
centum aquæ urnas expressisse; quia  
vinum erat corruptum*. Aliquando et-  
iam

iam in Epithetis talis figura invenitur, quando magna Epitheta sequitur substantivum aliquod ridiculum. Pertinent huc quoque, quando actiones & habitus non conveniunt personæ. Pertinent huc exempla, quæ unô verbô decipiunt, ac æquivocum simul involvunt. Cujus exemplum apud *Aristotelem Lib. III. Rhet. c. 11. §. 17. 18.* Sic e. g. si quis de iudice quôdam dicat: *bonus ille Græcus est, callet Dialectum Doricam*: allusio enim est ad τὸ δῶρον, quod Græcis donum significat. Sic cum aliquis homini, qui compilabat ærarium publicum, diceret: *respice funem.* — Elegantissimus locus Ciceronis est: *quod quidem facerem vehementius, nisi intercederent inimicitie cum istius mulieris virô, fratrem volui dicere, semper*

*hic erro.*



CAP.



C A P I I.

De

*Propositionibus Argutis.*

**V**idimus priorī capite Metaphoras  
simplices, argutiarum quasi semi-  
na, quæ formantur in primâ intellectûs  
nostri operatione, ac in unô tantùm  
vocalulô consistunt; e. g. si voces amo-  
rem *ignem*: si rosam *reginam florum*: bel-  
lum *nausfragium Reipublicæ*; hæ nudæ  
tantùm voces sunt Metaphoricæ, quas  
mens primâ operatione concipit, unde  
nascuntur demùm veræ argutiæ, quæ  
in propositionibus & argumentis con-  
sistunt. Propositio Metaphorica vo-  
catur Rhetoribus allegoria, quæ est  
continuatio ejusdem Metaphoræ per  
totam enunciationem; Estque earum  
tanta differentia, quanta est Metapho-  
rarum ipsa; hinc alia est proportionis,  
attributionis, æquivoci. Allegoria  
Proportionis eadem Metaphorâ propa-  
gatur, velut sua quâdam radice; e. g.  
si

si ardorem Metaphoricè voces amo-  
rem, nascitur inde allegoria illa, & ar-  
guta Phormionis Terentiani oratio:  
*Hiscè ego illam dictis ita incensam dabo,  
ut ne restringas lacrymis, si exstillaveris.*  
Pertinet huc jocus Ciceronis contra Pi-  
sonem. Vocabat aliquis familiam su-  
am seminarium triumphorum; conti-  
nuavit allegoriam Tullius eleganti ar-  
gutiâ: *ex illò seminariò triumphorum non  
nisi arida folia laureæ retulisti.* Exem-  
plum insigne præbet allegoriæ, non per  
propositiones tantum, sed per inte-  
grum carmen continuatæ *Odâ XIV. Lib.*  
*1. Horatius*, ubi singula verba sunt Me-  
taphoræ, aliosque sensus habent, nole-  
bat enim Horatius bellorum civilium  
autores perstringere, ideoque sermo-  
nis quòdam habitû allegoricò omnia  
dixit. Notandum tamen integras o-  
rationes, si nimis extendantur, non ha-  
bere eam indolem: longè enim sunt  
gratiores, si quasi ex insidiis prorumpunt,  
& fulminum instar ex insperatò  
oculos perstringunt. Egregium hujus  
alle-

alleg  
Mar  
tor,  
batu  
ense  
bem  
mul  
fran  
siu  
hanc  
gem  
sed  
Rep  
min  
accep  
ses a  
le pe  
vico  
cudi  
cum  
inge  
mun  
& S  
sua si  
perti

mo. allegoricæ argutiæ exemplum dedit  
 ar. *Marcus Antonius*, orientis triumphator,  
 tio. qui Bacchi sibi nomine blandiebatur,  
 abo. quod cum intelligerent Athenienses,  
 ris. ad quorum fines accesserat urbem  
 Pi. occupaturus, hi urbem suam formulâ  
 fu. illâ tradiderunt: *Minervam nostram*,  
 anti. (erat enim tutelaris Atheniensium  
 ar. Dea) *ô Bacche Pater, virginem ad hanc*  
 non. *usque diem tibi spondemus in conjugem.*  
 m. Respondet Antonius; *accipio, sed mille*  
 per. *talenta dotis nomine impero.*  
 te. Replicuerunt Athenienses: *Atqui, Domine,*  
 ib. *Jupiter matrem tuam indotatam accepit.*  
 te. Sed non liberavit Athenienses argutiâ à  
 le. solutione argenti. Simile penè est,  
 um. quod Regi Galliæ Ludovico XIV. accidit:  
 o. Hic nummum cudi fecit solis imagine  
 nia. insignitum cum inscriptione, *quis solem*  
 o. *sistet?* ingeniosè quidam Belga alium  
 na. nummum cudi fecit cum Imagine Josuæ  
 nt. & Solis, hâc inscriptione: *Solus Josua*  
 m. *sistet solem.* Ad eandem allegoriam  
 tô. pertinent Apologi, qui sub specie ani-  
 us. man-

mantium homines repræsentant & eorum actiones ; cujus exempla elegantia sunt, quæ habentur apud *Aristot. Lib. II, Rhet. c. 20. §. 11.* Ad hanc allegoriam proportionis referri etiam possunt descriptiones argutæ, quæ depingunt nobis subjectum aliquod cum continuatione perpetuâ Metaphoræ ; quarum elegans exemplum habemus in librô Italicâ linguâ scriptô à Thoma Carassa, sub tit. *Dicerie Poëtiche*, & Hugenius in characteribus suis Poëmaticis Belgicis, quos ille vocat *Zede Prinzen*. Quæ dicta sunt de Metaphorâ proportionis, illa quoque de Metaphorâ attributionis intelligenda sunt, nam & hic perpetua allegoria argutas facit propositiones ; Quo pertinet illud exemplum Ciceronis : *Laurea magnis periculis parta admittit longò tempore viriditatem.* Hic lauream vocat victoriam per Metaphoram attributionis, eoque innuit familias triumphales aliquando degenerare. Proverbia apud omnes gentes si spectes, præcipua ex his

his o  
bia &  
popu  
dictæ  
donat

E

PRO  
op  
matic  
sunt &  
de illi  
men  
III RE  
ta ea u  
tionem  
rò per  
aliqua  
ut fun  
lemma  
omnes



his oriuntur fontibus. Sunt Proverbia & adagia nihil aliud, quam argutiæ populares, quæ aliquando ex tempore dictæ ob acumen elegans quasi civitate donatæ sunt.

C A P. III.

De

*Enthymematibus Argutis.*

**P**ROcedimus jam ad tertiam mentis operationem, ad argutias enthymematicas, quæ omnium perfectissimæ sunt & nobilissimæ. Expresit quidem de illis nihil Aristoteles, meminit tamen enthymematum urbanorum *Lib. III. Rhet. c. 10. incis. 7.* ubi enthymemata ea urbana vocat, *quæ velocem cognitionem nobis faciunt.* Intelliguntur verò per enthymemata urbana, quæ vim aliquam habent argumenti ingeniosi, ut sunt Conclusiones Epigrammatum, lemmata Emblematum, in universum omnes conceptus arguti, sive circa materiam

C

teriam

teriam civilem, siue circa sacram aut quamcunque versentur, e. g. conceptus talis argutus repræsentatur in epigrammate illò Martialis in apem Electro inclusam: *Et latet & luet Phaërontide condit agutta, ut videatur apis ne-ctare clausa suo. Dignum tantorum pretium tulit illa laborum; Credibile est illam sic voluisse mori.* Elegantissimum Epigramma, quod apum instar mel habet in dictione, aculeum in conceptu, & si rectè inspexerimus, enthymemata tria arguta in Epigrammate unò latent. Una enim est propositio, quæ primò versû exprimitur; alter versus conclusio est ex priori ritè deducta; & quidem enthymema est ex fallacia vel signi, vel consequentis. Tertius versus aliud enthymema præbet, quod dignum laborum pretium tulerit, ex eadem fallaciâ deductum. Sequitur in quartò versu tertium enthymema: Credibile est illam sic voluisse mori, quod certè argutissimum omnium est, ac fallacia videtur esse non causæ ut causæ. Ita nihil

nihil penè Epigrammatum reperias,  
 quod non ad hanc doctrinam revocari  
 possit. Non est verò Epigrammatum  
 conclusio semper, velut in enthymemate,  
 deducta ex ratione sive assumptione,  
 sed non rarò assumptio Epigramma  
 claudit, conclusio incipit. Sunt  
 itaque argumenta arguta nihil aliud,  
 quàm urbanæ fallaciæ: in eò enim differ-  
 entia à cæteris consistit. Ingeniosa  
 quidem possunt esse argumenta, quæ  
 vel in demonstrationibus Euclideanis  
 vel in scientiis formantur, sed illa non  
 sunt arguta. Dicitur cum Seneca,  
*conclusiuncula vasa & callida*, vel  
*paralogismi arguti*. Neque enim omnes  
 paralogismi vel sophismata statim sunt  
 argutiæ; differunt materiâ: nam in  
 sophismatibus dialecticis scholasticæ  
 quædam proponuntur disputationes,  
 in enthymematibus argutis res sunt ci-  
 viles, vel aliæ etiam in quantum sub-  
 sunt generibus causarum, quod vel  
 laudentur vel vituperentur vel suade-  
 antur vel dissuadeantur, vel defendan-

tur vel accusentur. Eâ ratione tantum argutia in illis locum habet. e. g. si dixeris: *ens est syllaba, ens est genus, E. syllaba est genus*, paralogismus est dialecticus; sed si dicas: *Verres est animal brutum, Verres Siciliam regit, E. animal brutum Siciliam regit*, paralogismus similis est dialectico illi, sed quoniam in locò aliquò Rhetoricò versatur, generis scil. demonstrativi, argutiam parere idoneus est, si vel Epigrammate concludatur, vel apophthegmate vel emblemate, vel aliâ quâdam argutâ oratione. Differunt Fine. Ut enim Rhetorica pro fine habet persuasionem popularem, dialectica disciplinam veri; ita cavillatio urbana pro scopò habet delectare animum citra veritatis præjudicium, cavillatio vero dialectica pro fine habet, falsitate aliquâ corrumpere veritatem. Unde Aristoteles 1, *Rhet. c. 1. §. 45.* Oratorem tam scientiâ, quàm electione, cavillatorem, dialecticum autem tantum scientiâ, non electione cavillatorem vocat. Scil. ut Rhetorici-

tor  
rat  
pro  
dic  
tio  
con  
dib  
tur  
per  
urb  
que  
lect  
fua  
rati  
vis  
tam  
vill  
que  
tatu  
vel  
pell  
re, c  
teat  
est  
men



toricæ finis est persuadere quacunque ratione, etiam fabulis, quam ob causam propositiones enthymematum suorum dictione exquisitâ ornat, at ipsum ratiocinationis officium occultat: ita è contrariô inter disputantes nudis rudibusque terminis omnia proponuntur, qui apti sunt docere, vel corrumpere doctrinam, si sophisma est. In urbanô verò enthymemate idem fit, quod in Rhetoricô, nisi quod illud delectationem intendat, Rhetor verò persuasionem. Præcipuè verò differunt ratione formæ essentialis; nam quamvis omnis cavillatio sit fallacia, non tamen omnis cavillatio urbana est cavillatio, sed illa tantùm, quæ absque fraude, & jocô quôdam imitatur veritatem, non verò avertit; vel falsitatem imitatur ita, ut verum, pelluceat, possisque tu statim intelligere, quidnam sit illud verum, quod lateat, & quod non dicitur. Atque hæc est velox illa disciplina, quam enthymemata urbana facere dicit Aristoteles

les *Lib. III. Rhet. c. 10. §. 7.* quemadmodum cavillationes urbanae sub imagine falsi verum intendunt, ita dialecticae sub specie veri falsum. Quibus accurate cognitis differentiis concludi potest, enthymema urbanum esse cavillationem ingeniosam in materia civili jocose persuasivam, absque integra syllogismi forma super Metaphoram aliquam fundatam. Fieri tamen potest, ut quatuor illae circumstantiae, quibus differunt illa enthymemata, in se transeant, ut in quibus materia Rhetorica est, & forma dialectica, vel materia dialectica est finis Rhetoricus. e. g. *terra se interponit inter solem & lunam. Ej. erit luna Eclipsis*; quod est enthymema doctrinale. Rhetoricum erit, vel potius argutum, si ita efferas: *Terra invidiosa oculos Dianae obstruit, ut non possit Appollinis faciem intueri, illa ob tristitiam lugubri colore induitur.* Fundamentum itaque enthymematum urbanorum est Metaphora: forma concludendi sophistica: finis delectatio cum veritate.

For-

Forma ista proponendi Sophistica non fit rudi quôdam dialecticô modô: neque enim ordo propositionum observatur, suntque interdum consequentiæ crypticæ, nonnunquam etiam plures, ex una propositione illatæ, ut vidimus in epigrammate illô Martialis. Magno hîc usui sunt Loci fallacium enthymematum, quæ exhibet Arist. *Lib. II. Rhet. c. 24.* Sic e. g. enthymema illud argutum in Epigrammate Martialis de ape: *credibile est, illam sic voluisse mori*, fundatum est in paralogismô, quem Aristoteles vocat *ex Signô*. Cujus exemplum affert, *Credibile est, Dionysium esse latronem, quia malus est*; quod exemplum tamen ad fallaciam alii reducent. Inest etiam analogiæ quædam fallacia, quæ fingit discursum & ratiocinationem in insectô, quæ tribuenda aliàs est homini. Atque in eô præcipua vis consistit hujus acuminis: nam si Rege aliquô illustri mausolæo condito inferas: *credibile est illum sic voluisse mori*, nulla acumini gratia est,

neque est acumen ; expirat enim falsa illa analogia. Sice.g. argutia illa Tyanæi super incendiô templi Ephesini : *Diana non potuit extinguere flammâs templi Ephesini, quoniam occupata erat in urbe Pellâ circa nativitatem Alexandri, pertinet ad locum, qui est à non causâ pro causâ ; qui proponitur ab Arist. loc. cit. §. 32.* Infert enim accidens aliquod esse causam alterius , quod erat fabulosum. Enthymema fundatum, est in Metaphorâ hypotheseos , quæ fingit Deitatem Dianæ & ejus actiones. Accedit etiam æquivocatio quædam vocis Dianæ, quæ aliô munere colebatur Ephesi in templô, aliud verò munus exercebat in partû. Ex eodem locô, vel etiam priori, est illud Martialis :

*Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus,*

*Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.*

Malum hîc esse dicit Martialis Zoilum, qui istô habitû sit, quæ sanè est fallacia.

Ne-

Neque enim hic habitus verum vel signum vel causam præstat malitiæ. Ad paralogismum, qui *penes equivocacionem* dicitur ab Aristotele, pertinet dictum illud *Agessilai*: *Nolite mirari, quod infectis rebus redierim, nam triginta me sagittariorum millia ex Asia depulerunt.* Intelligebat autem per sagittarios non milites, sed nummos, quibus sagittarii facies impressa erat. Huc pertinet illud Regis *Alphonsi*, qui à pictore *Hebræo*, sed *Christiano*, *Johannis Evangelistæ* effigiem comparare sibi volebat, cui, cum pretium ille statueret quingentorum aureorum, ridens respondit: *Certè tu majori pretio vendis discipulum, quàm Majores tui Magistrum.* *Æquivocatio* est in discipulo & imagine discipuli. Ad locum, qui *Aristoteli* dicitur *penes dictionis figuram*, pertinet illud *Servii Galbæ*, qui contra *Libonem* adversarium suum adducebat multa testimonia domestica, hinc à *Libone* deprehensus, rogatus, *quando idem Galba à triclinio tuo exibis?* respon-

C 5

alsa  
ya-  
ni:  
m-  
ur-  
er-  
ro  
oc,  
li-  
rat  
L  
æ  
s.  
L  
a-  
l-  
o-  
r-  
u-  
-  
b,  
.  
-  
-



spondit statim Galba, *quando tu è cubi-  
culò alienò.* Ad fallaciam *peres conse-  
quens*, quæ Aristoteli ita dicitur, perti-  
net illud Plautini Leonis, qui ad he-  
ram ad altare Veneris confugientem  
ita: *Vulcanum adducam, is Veneris est ad-  
versarius*; quo alludit ad adulterium  
Veneris ad inimicitias Vulcani con-  
tra adulteram. Possunt interdum om-  
nes illi paralogismi unò enthymema-  
te urbano conjungi, atque tum certè o-  
ptima est argutia enthymematica. Est  
enim ratio enthymematis formandi  
non una vel simplex. Nam quanquam  
loci paralogismorum cum Dialecticis  
communes sint, modus consequentia-  
rum tamen varius est: nam in discursu  
omnis enthymematis vis consistit in  
uno aliquo subjecto seu themate, cir-  
ca quod duplex datur actus operatio-  
nis: nam vel adducit aliquam ratio-  
nem subjecti, vel deducit ex aliquo sub-  
jecto quandam consequentiam. Pot-  
est tamen argutus enthymematicis ter-  
tia adhuc operatio addi, quæ quan-  
quam

quam non sit enthymematica ; habet  
 tamen aliquam similitudinem enthy-  
 mematis , quæ est reflexio circa duas  
 subjecti circumstantias , quæ habent  
 inter se aliquam vel proportionem &  
 convenientiam , vel disproportionem  
 & disconvenientiam , quæ imprimis  
 faciunt ad conceptûs illos , qui fundati  
 sunt in oppositõ. Itaque conceptûs  
 aliquos vocare possumus vel *adducti-  
 vos* vel *deductivos* vel *reflexivos*. Ex-  
 exemplum illustre est Martialis , qui o-  
 mnes conceptûs adhibet uno in thema-  
 te apis electro inclusæ. *Adductivus* con-  
 ceptus est ille ; *credibile est illam, sic volu-  
 isse mori* : quia narrationis subjecto ad-  
 ducitur ratio Metaphorica. *Deducti-  
 vus* conceptus in altero Epigrammate  
*Viperæ electro incluse* , ubi explicato sub-  
 jecto deducit consequentiam aliquam  
 Metaphoricam :

*Ne tibi regali placeas Cleopatra sepul-  
 chro*

*Vipera si tumulto nobiliore peris.*

Conceptus *reflexivus* est in altero Epi-  
 gram-

grammate de formicâ electro inclusâ , ubi recitato subjecto ita reflectit :

*Sic modò quæ fuerat vitâ contenta  
manente*

*Funeribus facta est nunc pretiosa  
suis.*

Ubi vides, quod non adducat rationem aliquam, aut deducat aliquam consequentiam, sed solùm se reflectat ad oppositionem statûs præsentis & præteriti formicæ, considerando oppositionem illam & mirabile illud, quod inde deducitur. Quod si itaque unus saltem consequentiæ modus appareat, argumentum enthymema est, & quod inde conficitur epigramma; si verò omnes tres consequentiarum modi concurrant, consummatissimæ hoc erit epigramma argutiæ. Quascunque igitur argutias enthymematicas vel in Epigrammatibus vel in apophthegmatibus offendes omnes fundatæ sunt super aliquâ Metaphorâ, super aliquo loco paralogismi, super aliquo consequentiarum modo, s. adductivo s. deductivo s. reflexi-



vo. Concurfus nonnunquam talium  
consequentiarum in Epigrammatibus  
concurrit, ut in incomparabili *Martia-*  
*lis* epigrammate, quod scripsit in *Cate-*  
*lam* *Publii* scitè depictam, in quò & ad-  
ductivus, & deductivus, & reflexivus  
conciendi modus est. Primùm enim  
ait:

*Hanc ne lux rapiat suprema totam,  
Pictam Publius exprimit tabella.*

Hic ratio adducitur faceta, cum anima-  
libus applicatur aut brutis, quod non-  
nisi hominibus tribui solet. Deducit  
inde consequentiam, cum addit:

*Inquã tam similem videbis Issam,  
Ut sit tam similis sibi nec ipsa;*

Et quæ additur mirabilis est reflexio ex  
oppositione vivæ & pictæ canis, quam  
& consequentiam deductivam dicere  
possemus, & quidem dilemmaticam:

*Ipsam denique pone cum tabella,  
aut utramque putabis esse veram,  
Aut utramque putabis esse fictam.*

Quoniam de urbanis argutiis, earum-  
que

que principiis multa jam dicta sunt, superest, ut quædam de ridiculis addamus. Quæ quanquam cõmunia habent cum aliis argutiis principia, est tamen formalis aliqua ratio, quæ à cæteris discriminat. Arist. *Lib. I. Rhet. c. 11. §. 53. it. III. Rhet. 18.* remittit nos ad artem poëticam: illic enim se dicit ridiculorum, genera descripsisse, quorum alia ingenuis convenient hominibus, alia non. Ibidem quoque §. 16. & 17. distinguit inter illusionem & scurrilitatem; illam libero homine dignam esse ait, hanc minimè. Verùm in iis, quæ Poëtica ab Aristotele habemus, tradita, paucula tantùm occurrunt, quæ aliquis fundamenti locò, omni de ridiculò tractationi substernat. Ubi enim Comœdiam definit, pauculis lineis ea dicit, quæ integro volumini sufficerent, si explicatius & per exempla proponantur. Occurrit illud verò in poëticis c. 5. *Comœdia, inquit, est pejorum imitatio, non tamen secundum omne vitii genus, quam ridiculum à turpi proficiscitur.* *Ri-*  
*dicu-*

*diculum enim est aliquo pacto peccatum, & turpitude sine dolore, minimeque noxia, perinde ac ridicula statim apparet deformis facies, distorta sine dolore.* En tibi hęc materiam ridiculi generalissimam & turpe, quod exprimit exemplo turpitudinis alicujus physicę, faciei scil. distortę, unde tu subintelligere possis alteram speciem turpitudinis moralis. e. g. actum obscęnum. Ista verò turpitudines comprehendit sub voce generalissimã τὴν pejori, quod est subjectum comędię, ut distinguatur à τὴν meliori, quod est subjectum Tragędię. Per *pejora* enim intelligit res viles, convenientes lenonibus, servis, parasitis: & per *meliora* intelligit res graves, quales spectant ad Nobiles, Principes & Heroës. Ut itaque incipiãmus à deformitate physicã, in genere substantiarum magis ridicula est materia lutum quàm aurum, cucurbita, quàm cedras. In genere quantitatis magis ridiculũ est nanus, quàm gigas, musca, quàm Elephas, mus, quàm mons.

In

In qualitate visibili magis ridicula sunt obscena, fœculenta, quàm splendida & illustria: in qualitate ἀκρίτην ruditus asini, cantus cuculi, ranæ, cicadæ, quàm lusciniæ; strepitus cymbali, quàm cantus Lyræ. Ita Plato per jocum fuit appellatus à Satyricò *cymbalum scholarum*. Atque ita per omnes qualitatum species, per relationes, aciones, passionem, locum, habitum & situm, quasi tabulâ quâdam colligere potes verba illustria & contemptiora, unde mutuâ applicatione nascitur ridiculum ex deformitate, ut Aristoteles ait, sine dolore.

Eâ ratione integræ orationes, scriptæ in laudes rerum abjectarum, & ex Aristotelis sensû turpium, totæ sunt, ridiculæ; nam primùm ipsum argumentum est ridiculum, laudare res turpes. Argumenta autem laudum, quia è contrariis peti debent, ut illustrentur turpia, non possunt nisi multa ridicula & jocosa gignere. Talia collegit unò volumine Dornavius in *amphitheatrò sapientiæ Socraticæ & joco-seriæ*. Pertinet huc Heis-

*ſi laus aſini & pediculi*, pertinent huc omnes inſcriptiones, epitaphia, picturæ, ſymbola & emblemata, quæ figuram exhibent ridiculam. Deformitas moralis habet ſub ſe omne vitium pro materiâ ridiculâ. Quoniam verò virtus in mediô conſtituta eſt inter vitia duo extrema, quorum unum vilius eſt & turpius, quàm alterum, ita quod magis turpe eſt ex utroque, materia ridiculi erit. Ita reſpectû honoris minus ridiculum aut turpe vitium eſt ambitio & tyrannis, quàm ſervilitas; alterum enim vitium cum generoſitate animi quâdam conjunctum eſt: hoc verò ſupponit animum vilem. In quantum, itaque magis viles ſunt actus, in tantum ſunt ridiculi. Ita ratione virtutum intellectualium ſimplicitas magis ridicula eſt, quàm aſtutia: hæc enim intellectum ſupponit acutum & perſpicacem. Circa fortitudinem magis eſt ridiculum, eſſe timidum, quàm eſſe temerarium. Inter omnia vitia nulla ſunt turpiora, quàm quæ ex intemperan-



perantiâ proveniunt, in crapulâ, vene-  
re, cùm pro subjectis habeant sensus  
materiales & ignobiles. Atque hæc  
potissimum subjecta sunt comœdiæ.  
Quemadmodum enim Tragœdiæ finis  
est, dolorem excitare obsectorum mœ-  
stitiâ : ita comœdiæ finis est, risum,  
concitare objectis vilibus, qualia sunt  
vitia ista, crapula, amores, lenocinia.  
Ut in actionibus, ita & in signis quæ-  
dam turpitudine est, ut innuit Aristote-  
les *Lib. II. Rhet. c. 6. §. 36.* Sic quia Eu-  
nuchus ridiculus est, ridicula quoque  
sunt omnia ejus signa, quæ eleganter  
congerit *Claudianus in Eutropium.* At-  
que hanc possumus vocare deformita-  
tem simplicem. Alia est comparata.  
Illa itaque consistit in disproportione  
duorum obsectorum, e. g. si nomen non  
quadret personæ, ut si nanum voces  
atlantem; si pars non respondeat toti,  
qualis est jocus Græci Epigrammatis in  
nasum Castoris: *Castoris est nasus fodi-  
endis commodus arvis; si sonus non re-  
spondeat, ut e. g. si asini vox tribuatur,*  
homi-



homini; si gustus non respondeat, ut  
 cum asinus ficus edit; si valor non re-  
 spondeat minis, ut apud Plautum mi-  
 les gloriosus toti orbi bellum movens  
 à scemina in fugam versus; si scientia  
 non respondeat professioni, ut si quis  
 de industriâ errores committat, aut vi-  
 tiosè scribat; cujus scommatis sunt  
*Epistola obscurorum Virorum* ab Hulda-  
 ricò Huttenò, *Equite Francò*, risùs mo-  
 vendi causâ scriptæ. Talia sunt car-  
 mina illa Macharonica, quod inven-  
 tum Italis debemus, qui linguam lati-  
 nam vernaculæ miscentes ridiculum  
 tale dictionis genus efformarunt; si  
 relatum non respondeat alteri, ut e. g.  
 si dicas, matrem filio nupfisse, quando  
 inter anum & juvenem contrahuntur  
 nuptiæ; si dignitas personæ non con-  
 veniat, ut si rusticus rex fiat, quorsum  
 spectat comœdia illa Masenii, *Rusticus*  
*imperans*; si ars non sit apta personæ:  
 quorsum pertinet proverbium: *asinus*  
*ad Lyram*; si actiones non conveniant,  
 ut e. g. cum Mergites umbræ suæ bel-  
 lum

lum movet, aut cum Don Quixot cum molis pneumaticis pugnam ingreditur; si ornamenta non convenient ætati, ut si vetula vultum pingat cerusâ; si instituta non convenient actioni, ut si quis equitandi imperitus caudâ pro frenô utatur. Ex illis fontibus plurima oriuntur falsa & ridicula in comœdia. Dubium itaque non est deformitatem esse materiam ridiculi & fundamentum; sed additur ab Aristotele deformitas *sine dolore*, quæ fastidium non parit. Animus itaque civilis non ridebit istam deformitatem, quæ infamiam alicujus secum trahit, sed illam, quæ è civili conversatione jocos quosdam, educit: animus verò malè compositus, ut nec aliorum malis movetur, ita ridet etiam ad illa, quæ aliis ignominiam pariunt.

Diximus hætenus, deformitatem, moralem consistere in vitiis, quæ pudorem incutiunt, non verò in illis, quæ iram & vindictam merentur. e. g. si dicas Zoilum lascivum, materia erit jocosorum

coru  
hor  
tur  
Hin  
rum  
di  
abu  
dia  
pes  
pos  
teri  
si n  
ci p  
star  
& r  
con  
cre  
qua  
flag  
me  
nor  
pit  
illa  
mo  
in



corum & ridiculorum : si parricidam  
 horrorem & iram incutiet. Ex primò ori-  
 tur ridiculum, ex alterò maledicentia.  
 Hinc Aristoteles *poëticorum* c. 2. Home-  
 rum laudat, quod comœdiam à male-  
 dictis purgaverit, quibus illa primùm  
 abundârit. Ita Aristophanis comœ-  
 diæ plenæ sunt Satyris contra princi-  
 pes; quanquam sæpe thema ridiculum  
 possit fieri Satyricum; è contrariò ma-  
 teria Satyrica & mordax ridicula erit,  
 si non rideat, aut sub formâ alicujus jo-  
 ci proponatur. Mutant etiam circum-  
 stantiæ ut omnes actiones morales, ita  
 & ridiculum; ut si Thaidi objiciatur  
 consuetudo cum viris, jocus erit, si Lu-  
 cretiæ, maledicentia: aliam enim hęc  
 qualitatem persona imponit. Verris  
 flagitia summa erant & infamia: ita ta-  
 men proposuit illa Tullius, ut risum  
 non rarò excusserint. Est itaque tur-  
 pitudo sine dolore minimeque noxia,  
 illa, quæ consistit in illâ urbanitate, quæ  
 modestiam & jocantis, & honorem ejus,  
 in quem jocus spargitur, semper pro-  
 positum

positum habet. Atque his iudiciis & requisitis differt ab urbanitate scurrilitas, de quâ differentiâ videatur *Aristoteles Lib. IV. Eth. c. 8 & Lib. III. Rhet. c. 18. n. 18.* Forma itaque ridiculi urbani in eô consistit, ut quod Satyricum est, non videatur tale, quod obscœnum, videatur modestius. Sice.g. si dixeris: ille est latro, injuria est; si dixeris: illi nihil conclusum aut obseratum est, maledicentia abit in ridiculam ironiam desumptam ab æquivocô. Ejus scommatis multa sunt Epigrammata Martialis. Eâ ratione res honestæ ad obscœna transferuntur, ac verba rectô aliquô sensû accepta in ridiculum detorquentur; quorsum pertinet *Cento ille Ausonianus.* Ridiculorum tanta est figuratio, quanta aliarum argutiarum; nam si thema ridiculum susceperis, per omnes illos *Metaphoræ* fontes commodè deduces.

SECTIO

SECTIO II.  
DE  
SUBSIDIIS ARGUTÆ  
DICTIONIS.

CAP. I.

De

*Versione Arguta.*

**P**ostquam principia Argutæ dictionis simpliciora vidimus, restat, ut de ejus parandæ subsidiis quidquam dicamus. Sunt enim quædam adminicula, quorum manuductione argutæ dictionis habitus animo induci potest. Inter illa primum est *versio*. Ut enim hæc in purâ dictione obtinendâ, primas sustinet partes, vel quæ huic respondet, metaphrasis, quando scilicet ex notiore vernaculâ linguâ in latinam aliquid transfundimus, vel latinam orationem aliâ variamus: ita & in argutâ dictione res se habet; hanc ut scribere discamus, oportet primum in versionibus argutis exer-

&  
li-  
te-  
18.  
in  
on  
ea-  
lle  
ni-  
e-  
te-  
a-  
is.  
na  
nô  
n-  
fo-  
a-  
m  
o-  
de  
  
10



exerceri. Versiones argutas voco eas, quæ enthymemata multa involvunt, non quidem omnia eò modò arguta, ut vel admirationem, vel risum, vel delectationem continuò moveant; neque enim omnia argumenta hoc patiuntur, sed quæ quasi ex abditò sententias ostendunt, quæ omnia faciunt, ut stylus argutus sit, si crebræ sint. Sic e. g. apud *Tacitum* in narratione historiarum semper implicantur sententiæ, & quidem crebrius, quàm ab aliis historicis fit; si illæ detrahantur, mutetur dictionis brevitatis, ex argutò stylò planum feceris. Itaque eò te modò exercebis, ut accipias narrationem aliquam simplicem, quæ nudum factum ostendit; perpensis hinc circumstantiis omnibus notes tibi lemmata aliqua sententiosa, quæ ex iis circumstantiis efflorescunt. Hæc non ita integra inferenda sunt narrationi, sed interdum unò epithetò, unò adverbio involvuntur, quæ si decorò aliquo nexû inter se copulentur, in argutam dictionem conver-

ver  
Sec  
que  
gut  
line  
ne  
dic  
frig  
cuj  
qua  
qua  
dic  
eni  
spit  
ant  
spe  
pho  
om  
scie  
tiò  
pli  
cap  
niu  
stot  
cut

vertetur, quod primùm erat simplicius. Sed & illud hic observari debet, ut quoad ejus fieri potest, metaphoris argutis, adagiisque & similibus locus relinquatur: eâ tamen cautione adhibitâ, ne quid præter rem aut præter decorum dicat. Ridicula enim sunt affectata, ac frigidam & ineptam faciunt orationem, cujus rei modû tenere majoris est artis, quàm ipsa ars argutiarum, nec à quòquam fieri potest, nisi qui jam tum judicium probè subactum habet. Pueri enim, & qui primi Latinæ linguæ hospites sunt, infeliciter hic exercentur; ante enim linguæ puritatem probè perspectam corruptela erit linguæ, metaphoris & argutiis indulgere; ita enim omni linguæ usu excidemus, nec purè scientes scribere, nec argutè. Quo vitio præcipuè tyrones laborant, qui simplicis puritatis elegantiam non satis capiunt, ac interdum magistros inveniunt sui similes. Hinc est quod *Aristoteles* notat *Lib. Rhet. c. 1. §. 26.* elocutionem poëticam plerunque præ oratoria,

D

toria,

roria, probari atque ex ejus intempe-  
 stivô usû corrumpi orationem solutam;  
 cujus exemplum illic proponit *Gorgiam*  
*Sophistam*; poëtica verò elocutio iisdem  
 principiis constat, quibus arguta dictio.  
 Fovet hoc in tyronibus malum incon-  
 sulta tùm recentiorum lectio, e. g. si quis  
 Senecæ lectionem Ciceroni præferat,  
 aut Tacitum, aut è recentioribus Li-  
 psium legat, nondum bene compositis  
 styli partibus, aut linguæ idiotismis  
 parùm perspectis. Unde habebimus  
 oratores ineptos, qui, ut arguti vide-  
 antur, ipsi nobis fingent phrasas, cumq;  
 non sit in illis ingenium ac judicium,  
 quale fuit Senecæ, Tacito, Lipsio, futi-  
 les erunt & ridiculi. Omnibus illis Cice-  
 ro fundamenta latinæ linguæ posuit, sed  
 secundum in illis ingenium argutæ di-  
 ctionis copiam firmatô jam stylô super-  
 induxit. E recentioribus habemus et-  
 iam *Barclajum*, qui in *Argenide* suâ satis  
 argutus est, sed fingit sibi interdum pro  
 ingenio & arbitriô loquendi modos, qui  
 Latinitatem ejus corrumpunt; non im-  
 me-

meritò eam ob causam vapulans à  
*Scioppio*, qui ipsi *Buchananum* longè  
 præfert. Ad horum itaq; lectionem non  
 nisi serò accedendum est. Exemplum  
 talis argutæ variationis ad indolem sty-  
 li *Corneliani* invenies apud *Famianum*  
*Stradam Lib. II. Prolus. 2.* ubi exem-  
 plum è recentiori stistoriâ alterum ad  
 stylum *Livianum*, alterum ad *Taciti*  
 stylum expressit, eodem retentò argu-  
 mento, sed variatò per sententias & ar-  
 guta dicendi genera. Nos e.g. propo-  
 nemus è *Laurembergii Acerrâ Philologi-  
 câ Cent. 2. hist. 8.* de *Demosthene* & *Lai-  
 de*. Ex eâ historiâ extrahantur senten-  
 tiæ & lemmata quædam, ipsi hinc histo-  
 riæ implicanda:

1. *In magnis urbibus magna dominantur vitia.*
2. *Ex scelere etiam fama contrahitur, sed nequam.*
3. *Vis formæ in mulieribus multos corrumpit.*
4. *Rara est concordia formæ atque pudicitie.*

5. Positō unō verecundia gradū sequuntur plures.

6. Magnis divitiis magnos pati abusus accidit.

7. Sepe paupertas quosdam à vitio retrahit.

8. Etiam peccatis homines nundinantur.

9. Magnis ingeniis magna quoque adhaerescunt vitia.

10. Excessus modi ad sanitatem sepe Dux est.

II. Vitia non patent nisi nuda.

Hæc lemmata sententiosa in unum illam narratiunculam compingantur h. m. Magnas urbes magnis frequentari vitiis, quem fugit? Habuit certè Laidem suam Corinthus, sed nescio an in fama decus. Invenit in illa fidem, vulgò quod dici solet: Pudori cum egregiâ formâ rarum esse contubernium, sique is semel lesus fuerit, sepius vitium admittere. Ergò non dubitabat impudica mulier sceleri stupendum pretium ponere, & quod indignum est, facile inveniebat, qui numerarent, ditissimos

Græ.



Gracie. Adeò stultitiam patiuntur opes,  
 addo & flagitia. His enim, ut aliàs faci-  
 lè, sic maximè, si formæ illices opponas, fe-  
 liciter fiunt insidiæ, ut vel hòc nomine fru-  
 ctuosa paupertas dici possit, quod multis  
 peccandi fomitem subtrahit. Indulsisset  
 etiam profectò genio Demosthenes, qui  
 Laidem de nocte jam compellaverat, nec  
 illum adeò ingenii magnitudo errantium  
 numero excludebat, quàm quod solvendo  
 talentum non erat. Hæc ex penuriâ volu-  
 ptatis exilitatem ad summum excessum ap-  
 pendeat, vitioque sub suâ nuditate prosti-  
 tuto pœnitendum commississe se dixit, si tan-  
 to pretio Corinthum adiisset.

C A P. II.

De

*Variatione Argutâ.*

**V**ersionem sequatur Variatio, quæ  
 est, cum una eademque sententia  
 aliis effertur ac variatur sententiis, quæ  
 argutiam aliquam in se continent, vel  
 adagiò aliquò vel simili, vel exemplò:

D 3

quæ

quæ omnia tamen breviter enuncianda sunt, sine particulis illis *ὑποδιλοκῶν*. Hæc variationis species multum differt 1. à simplici, quæ *Grammatica* dicitur, cùm sententia aliqua vel Synonymis tantùm vel Grammaticis figuris variatur, quâ constructionem, quæ summè utilis est tyronibus Latinæ linguæ. 2. à variatione *Rhetoricâ*, cum una aliqua sententia per schemata dictionis vel sententiæ variatur. Hæc verò species Variationis, quam argutam vocamus, continetur quidem sub Rhetoricâ: schemata enim sunt plurima in Rhetoricis, quæ acumen involvunt, imò tota acuminis ratio ex Metaphorâ dependet; sed quoniam tot aliæ etiam sunt figuræ, quæ non tam ad argutiam sermonis spectant, rectius hanc ab illâ distinguimus, & in variatione argutâ illa tantum retinemus, quæ propius ad argutias spectant, qualia sunt: Enunciationes allegoricæ, *μεγιστώδεις*, similia & exempla, quæ ex unò fonte, scil. Metaphorâ, descendunt. Ac habemus hîc autores, qui

qui subministrare hęc argutos conceptus possunt. Adagiorum scriptores, quotquot eorum in omni gente habemus, utiles esse nostro instituto possunt, imprimis illi, qui sub certis titulis communibus adagia congefferunt. Labor itaque suscipiendus est illi, qui cupit instructiorem aliquem habere ejus rei thesaurum. Congerat ille omnia in unum, ex omnibus adagiorum scriptoribus, ut fecit suõ tempore *Gruterus*, qui tamen titulos nullos posuit. Notanda verò sunt illa adagia præ cœteris, quæ communem cum Latinâ linguâ indolem habent. Colligi etiam longè plura possunt illorum, quæ adagii speciem habent, & vel apud oratores, vel Historicos, vel Poëtas Satyricos occurrunt. Hęc locò, ut ad variationis exercitium redeam, mirificè conveniet, si ad thema propositum excerpseris, quæ ad rem ipsam bene quadrant, & sententiam commodè variant. Possunt tamen & ex ingeniõ depromi non pauca, manu ducentibus illis figuris Rhetor-

cis, qui ad argutias spectant. Nam & hic schemata nonnulla dictionis, quæ per se arguta quidem non sunt, arguto tamen Enthymemati superaddita non sunt negligenda.

Exemplum Argutæ Variationis.

*Thema esto I.*

Nihil est ab omni parte beatum.

1. *Omniū rerum fors est in aliquò deficere.*
2. *Defectus ultimos si rebus nostris subtrahis, naturam earum subvertis.*
3. *Non aliter constant hæc sacra, multa intercedunt profana.*
4. *Conjunxerunt fata perfectionem & defectum; nec perfecta res ulla censenda est, nisi suum illa absolvat defectum.*
5. *Vel ipse Jupiter suos patitur manes.*
6. *Et Achilli invulnerabili vulnerabile crus fuit.*
7. *Etiā Dii claudam suscipiunt sobolem.*
8. *Vel ipsa Minerva telam aliquando suam retexit.*

9. *In Apellis tabulâ aliquando sandalium ineptum est.*
10. *Vidistine aliquando nebulam pictam in pariete? vidi, & vel in sole ipso: Plautus.*
11. *Aut Dii sumus, aut perfecti non sumus.*
12. *Omnibus malis punicis inest granum putre.*
13. *Explicastellantes caudæ oculos, pavov, sed & pedes aspice.*
14. *Ignoscite Philosophi, Paradoxon foveo: plena inanitatum esse omnia, & omnia vacuò suò demum completa.*
15. *Exclamate itaque cum Persio: quantum est in rebus inane!*

*Thema II.*

*Veritas odium parit.*

1. *Improbus est animi improbi in veritatem affectus, quem forma ejus, utut pulcherrima, ledit. Ad ejus tanquam ad Medusæ adspectum horret, ac lapidescentem rigidamque in monitores naturam induit.*
2. *Uc purpura homines delectat, tauros*  
D s
invitat

invitat ad pugnam, ita eadem veritas probos demulcet, improbos in rabiem agit.

3. Sole istò quid speciosius est? sunt tamen noctuae, qui eum oderunt, sunt vesperiliones, qui eum fugiunt.
4. Magna veritatis lux est; rara sunt istae aquilae vel lynces, quae radios ejus rectos capiunt, plurimi malunt reflexos, multi caecum amant in crepusculò.
5. Validus veritatis cibus est, & Spartanos requirit stomachos: delicatuli ac debiles enim eum nec concoquunt, nec digerunt, sed crudum evomunt.
6. Veritatem ut majestatis ream fugiunt omnes, ne amicitiae suspitione & ipsi retrahantur in communionem calamitatis.
7. Proscribitur veritas, nec invenit illa vel in loquacissimâ Causidicorum turbâ Patronum.
8. Affer in conspectum virginem illam nudam, statim è conspectu suo removebunt viri turpiter verecundi, vestibus tegent,

tegent, ipsum os personâ obducent, ne  
vel vultus in veritate apertus sit. Apud  
togatos in primis togata & personata  
est veritas: metuunt enim fortè,  
ne, si nudam hanc Dianam adspiciant,  
novi fiant Actæones canibus suis  
lacerandi.

*Thema III.*

Scribimus indocti, doctique volumina  
passim.

1. Feracissimum nostrum seculum est, in  
quò & Evnuchi gignunt, & mule pa-  
riunt: non tantum fungorum unâ plu-  
viâ nascitur, quantum librorum in unò  
mense.
2. Usque adeò in bonarum literarum a-  
gro infelix lolium & steriles dominan-  
tur avenæ.
3. Non tot autumnus de arboribus deji-  
cit folia, quot chartarum folia au-  
tumnales mittunt nundinæ; non tot  
veris tempore renascuntur, quot nun-  
dinis vernis prodeunt folia, sed folia:  
grandes in foliò & à foliis, sed fructu-  
um admodum parci.
4. Plures sunt, qui ex se, ut araneæ, gi-  
gunt,

gnunt: rari qui ex aliis mella colligunt, ut apes.

5. Nulla apud Iudeos olim virgo, quae non mater esse cuperet; ita nunc scriptoribus nostris intolerabilis planè res est virginitas: omnes matres esse, omnes virginem chartam perdere, inque illam è mentis uterò nullà obstetricante Minervâ, infantem excludere gestiunt. Sed similes mihi videntur isti capelle, apud Bucolicum, quæ spem gregis ah! filice in nudâ connixa reliquit.

6. Quod de Jctorum voluminibus Amelius quondam dicebat; jurisprudentiam multorum Camelorum onus esse, id de omni doctrinae genere dicas: adde omnes ex Africâ Elephantes, omnes ex Arcadiâ asinos, & vix ferent.

7. Ultimam, uti unico Apellifas fuit regio vultus depingere, ita doctis solis liceat scribere.

8. Romam lapideam quondam populum incoluisse, ex historiâ accepimus, quia tot fermè erant in urbe statuae, quos  
cives



ciues ; ita ferè nunc totus orbis est chartaceus , postquam apud nos densior librorum est copia , quam hominum .

9. Ingrediatur nunc aliquis officinam librariam cum lucernâ Diogenis, & quî olim maximò in cœtu non hómînes invenit , sed sterquilinia , inter tot librorum moles non libros , sed meram inutilium verborum colluviem inveniet .

10. Bibliopola cùm ingredior , lupanar quoddam ingredi mihi videor , in quò tot se ostendunt venalia prostibula , titulos inveniens , sed desiderans libros .

11. Libri plerumque speciosò titulò fallunt emptores , ut Parrhasius pictò velò spectatores : hunc mirè illi ornant : jam enim trophæa , triumphante victoriam indicia : jam columnas caduci operis fulcra & nescio quæ vultus imitantia signa ferarum splendidè depingunt : jam minio frontem libri , in perpetui , credo , pudoris testimonium

oblinunt, ut tu, qui omnia ista spe-  
 ctas, magnam rem agi juraveris, pro-  
 pius tamen admissus ut in pictorum  
 pergula veri nihil, omnia ficta offen-  
 das.

C A P. III.

De

*Imitatione Argutâ.*

**Q**uemadmodum in omni oratione  
 solutâ & ligatâ maximum pondus  
 habet imitatio, quæ est inventionis qua-  
 si manus altera: ita & in argutâ dictione.  
 Imitatio vulgaris in eô consistit, ut quis  
 vel res ipsas imitetur, vel sententias, vel  
 numerum: iis enim tribus oratio penè  
 absolvitur: vel enim ad rerum similitu-  
 dinem alias res concipimus, vel ad sen-  
 tentiarum modum alias sententias, vel  
 ad periodorum figuras alias periodos;  
 quæ omnia fundamentum aliquod ha-  
 bent in analogiâ, non in identitate. Si  
 enim quis vel easdem res retineat, vel  
 easdem sententias & figuras, vel ean-  
 dem

dem etiam orationis formam, non imitator erit, sed usurpator aliorum operum, sed de eâ hōc locō non agimus. Imitatio arguta longè alia res est: nam ea vel ex unicâ Metaphorâ deduci potest; hæc ex unius objecti ac vel simplicis etiam verbi contemplatione, quasi semine quodam jactō, alias generare argutias potest, manum præbentibus inventionum Locis dialecticis. Ita una Metaphora radix est, sive illa unō verbō contineatur, sive sententiâ & adagiō: quam radicem, ubi in diversas categorias, velut diversum aliquod solum, transplantaveris, propagabis hinc flores ejusdem speciei, sed inter se tamen diversos, ubi imitatum te fuisse nemo sentire possit. Dicitur non potest, quanta sit hujus rei fecunditas: nam ingenio non sterili, quodque cicō transmittere cogitationes suas per similia & exempla cognata potest, infinitæ sub manū nascuntur argutiæ, ut earum copiâ potius, quàm defectū quis laboret. *Emanuel Thesaurus* in librō aliquoties à nobis laudatō

datò, *de ingeniosa elocutione*, hunc modum miris effert laudibus, & prolixum ponit exemplum ex illâ Metaphorâ, prætarident, ergò amœna sunt. Considerat jam utrumque tam subjectum, quàm Prædicatum respectu Categoriarum; sed ille, cum omnia ad minutissimas minutias usque persequatur, frigidus non nunquam est in suis argutiis. Legi tamen illa possunt, & tanquam exempli locò poni. Verùm id omninò tenendum est, non esse adhibenda illa, quæ vel minimam suspicionem affectationis & frigoris habeant. Elegans talis imitationis exemplum est in Barlæanò illò carmine, quod inscribitur: *Pulex duorum amantium sanguine pastus*. Inventio illa petita est è Poëta Anglicò *Johanne Donne*, inter cujus poëmata juvenilia primum hoc habetur, quod in Belgicam lingvam transtulit *Constantinus Hugenius*: *Jacobus* autem *Catsius* in quòdam poëmatum suorum, cui titulus: *Dy Foembst van Rhodope* / quod reperitur in ejus opere, cui titulus: *Pruvensteen von*



von dem Trauring / p. 658. tanquam suæ  
 inventionis carmen posuit. *Barleus* au-  
 tem *Lib. III. Eleg. p. 119.* fecunditate  
 ingenii sui ita ampliavit hoc thema, ut  
 planè novum & ab ipsò inventum vi-  
 deri possit. Nemo autem illorum men-  
 tionem facit Angli istius, cui prima hæc  
 debetur inventio. Ista verò Barlæi i-  
 mitatio per omnes inventionum locu-  
 los se extendit; per omnes enim hujus  
 thematis partes procedit, & rei suæ ap-  
 plicat, quantum commodè fieri potest.

P U L E X.

Duorum amantium sanguine sa-  
 turatus.

*Pulex parve, meo toties inimice cubili,*

*Pulex terribili Rhinocerote minor;*

*Pulex, Socraticis olim celeberrime char-  
 tis,*

*Metiri saltus quæ potuere tuos;*

*Qui celeres matrum fallax subterfugis un-  
 gues,*

*Tamq; oculos, servas jam fugis arte ma-  
 nus.*

*Nuper*

*Nuper acuta meis fixisti rostra labellis,  
 Et saturum nostrò sanguine corpus erat.  
 Nuper acuta meæ fixisti rostra puella,  
 Innocuoq; iterum sanguine pastus abis.  
 Bis latro, me miserum primò, mox lædis &  
 illam,  
 Ac gemini alterum vulnus amantis a-  
 mas.  
 Corpore sic nostrum corpus miscetur in unò,  
 Alteriusque aliquid sanguinis alter ha-  
 bet.  
 Cogimur amplecti propius, propiusq; coire,  
 Concubituq; in te proximioe frui.  
 Tangor, & hic tango charæ secreta Neera,  
 Urimur hic, spatio sed brevioe, duo.  
 Basia, complexus, lusus, captiva tenentur:  
 Quò fugiat, nunquam fessus amator ha-  
 bet.  
 Tu leve prostibulum, tu dulce lupanar aman-  
 rum es,  
 Occultant Paphias membra pusilla fa-  
 ces.  
 Parvule tu pulex, ædes templumq; Deorum  
 es,  
 Quò sociâ colitur matre tenellus amor.*

Tu fieri amborum poteris ferale sepul-  
chrum ,

Possimus hic ambo, te moriente, mori.

Tu niger es, nigriq; refers palatia Ditis,

Totaq; fulgenti corpore gemma micas.

Cum bibis, alteriusq; trabis de sanguine san-  
guen.

Vah! Antropophagi, te sitiente sumus.

Cum bibis, ulteriusq; meo de sanguine sugis.

Vah facinus! fio potus & esca mei.

Cum laserve salis, ego tunc & amica sali-  
mus,

Miramurq; duos nos saliisse pedes.

Cum scelerate lates mammis, genibusq;, si-  
nuque,

Credimur his etiam nos latitare locis.

Parvule tu, parcis pedibus subnixae viator,

Bajulus es gemini corporis, ipse levis.

Parvule, cum caperis, capimur, terimurq;  
miselli,

Quaeq; tua est, eadem fors quoq; nostra  
manet.

Quam vereor, vitro ne mox claudamur in  
uno,

Corpora quo cerni turgidiora solent.

Tunc

Tunc ego, tunc fiam spectanti fabula mundo;  
 Tunc poterit cerni mixta puella mihi.  
 Qualis, cum Venerem vinctis strinxisset abe-  
 nis

Mulciber, illa Deum fabula facta fuit.  
 Quisquis es, hoc, precor, avertas à pulice  
 cadem,

Hoc pignus digitis dilacerare cave.  
 Qui faxis, geminos audax homicida truci-  
 das,

Exime nos primùm, mox homicida ne-  
 ca.

Si nolis me latro neca; pars illa supersit  
 Pulicis, in quâ vel sola puella latet.  
 Sic aliquid nostri forsân restabit in illâ.

Et vitæ potero reddier ipse mea.  
 Omen habet casus, thalamô sociabimur  
 unô,

Claudere quos unô pulice fata volunt.  
 Parte aliquâ juncti, totis jungemur aman-  
 tes

Corporibus, totos pars sua quæque tra-  
 het.

Pronubus hic pulex nostro præludit amori,  
 Hic juncti salvâ virginitate sumus.



*Laxius expandam, cum lectus amabit, a-  
morem,*

*Qui nunc angustâ pulicis ade later.*

*Latius expandam mea brachia, brachia qua  
jam*

*Se vix exili sede movere queunt.*

*Tunc erimus veri, non ficti, in pulice aman-  
tes,*

*Bastaque expansus mascula quæret a-  
mor. &c.*

1. Pulicem tanquam Subjectum de-  
scribit 3. distichis. 2 duobus distichis fa-  
ctum proponit, & cæteris, qui subse-  
quuntur, versibus omnibus mixturam  
gemini sanguinis tanquam omen futuri  
connubii, aut ipsum jam tum quasi spi-  
ritale conjugium proponit. Igitur per  
adjuncta conjugii procedit, & de san-  
guine mixtô, tanquam de duobus con-  
jugibus argutatur per 5. disticha; hinc  
iterum procedit ad subjectum, pulicem  
considerando illum tanquam locum, &  
comparat cum lupanari, cum æde sacrâ,  
cum sepulchrô, denique cum infernô  
per 4. disticha; hinc procedit ad acti-  
onem

onem ipsam , atque inde & paralogif-  
 mos , atque enthymemata arguta quæ-  
 dam deducit , scil. quod ἀνδρωπροφάγοι  
 ambo fiant , cùm bibat pulex utriusque  
 sangvinem. Porro argutatur de saltû  
 ipsius , de latitatione sub mammis , quod  
 bajulus sit utriusque corporis per 5. di-  
 sticha. Procedit hinc ad passiones , 1.  
 capturam pulicis , 2. spectaculum ejus  
 in microscopio ; additur elegans compa-  
 ratio Veneris Vulcani catenis strictæ , &  
 3. cædem , quam deprecatur additis en-  
 thymematibus argutis & urbanis , ne  
 scil. geminos in unô interficiat ; aut pri-  
 us eximat utriusque partem , vel solius  
 puellæ per 8. disticha. Tot argutis sub-  
 necit aliquot enthymemata alia arguta ,  
 quorum conclusio hæc est : aliquando  
 etiam nos conjugii vinculis sociabimur :  
 argumentando à signô ad signatum , à  
 parte ad totum ; quam conclusionem  
 amplificat per quandam hypotyposin  
 conjunctionis maritalis conjunctioni in  
 pulice oppositam. Atque ex hoc vide-  
 re possumus , quid ingenio liceat fœcun-  
 do,

monio

do, cùm se per circumstantias rerum earumque classes demittit, & combinationes illorum omnium mutuas instituit. Quam multa hìc sunt apud *Barlaam*, de quibus non cogitavit primus inventor; & talia quidem plurima incidere possunt, si quis hic se paulò frequentius exercuerit. Analogismus enim rerum per summas illas classes deductus, plura subministrare potest, quàm quis credat. Si quis lusum nostrum Epigrammaticum in anum juveni nubentem perspexerit, is omnia illa loca à nobis observata deprehendet. Sed de his in sequentibus plura, ubi & modos & exempla proponemus. Videamus jam etiam aliis exemplis, quomodo imitationes tales institui possint. Exemplum esto illud, quod apud *Jacobum Balde* in *Lib. de vanitate mundi Carm. Germ. 56.* legitur, quanquam rudibus Germanicis versibus expressum:

Ïst macht der g'waltig Archimed in  
seinen Staub Figuren.

Attribuit hic autor Archimedi mortuo,  
quod

quod aliàs vivo tribui debebat ; cui  
Metaphoræ si insistere amplius velis at-  
tribuendo Mathematico officia viventi  
propria secundum omnes Matheseos  
partes, integrum hic exstruere posses in  
Archimedem epitaphium h. m.

*Hic situs est Archimedes :*

*Exiguo illum loculo terra quiescentem in-  
clusit ,*

*Quam ille vivus locò movere voluit :  
Qui totum terrarum orbem antea radio de-  
scripserat .*

*Parvo ejus angulo circumscribitur .  
In magno Circuli terreni sinû Geometra ja-  
cet ,*

*Postquam illum mortis tela tetigere , parca  
vitæ fila secuere .*

*Cujus superficiem Epipedometra vivus me-  
tiebatur ,*

*Ejus nunc stereometra profundum  
Non pedibus , non decempedâ , sed totò cor-  
pore metitur ,*

*Postquam ultimam complevit rerum li-  
neam ,*

*Cui parallelas nos habemus omnes .*

*Qui*

*Qui in pulvere quondam descripsit orbes  
Nunc illos in cinere corporis sui describit,  
Nemine turbante circulos.*

*Et in Atomis suis omne fert punctum.  
Mens convexa cœlestium orbium adiit,  
Quæque terram quondam movere non po-  
tuit, sidera*

*Nunc fortè movet.*

Plura possent ad præsens hoc thema  
adferri, sed non omnia æquè quadrant.  
Delectus enim habendus est in argutiis.  
Alterum exemplum esto ex adagiò quo-  
dam Hispanicò, quod ita sonat: *Et dia-  
que te casus, ô te sanas, ô te matas. Die  
illa, quâ uxorem ducis, vel mederis tibi,  
vel te interficis.* Quod si jam gratulatio  
de nuptiis ad Medicum esset scribenda,  
multa suppeditare poterit hoc adagium,  
in quò cœlebs comparatur cum morbo-  
so, uxor bona cum Medicò, mala cum  
ipso morbò. Excute jam omnes Meta-  
phoras, quæque singulis sunt conjun-  
cta, ac ad subjectum præsens applica &  
copiâ ipsâ laborabis; poteris enim per  
omnes morborum species vagari, perque  
E omnes

omnes Medicinæ partes. Videatur illud deductum in librô nostrô *Venerum novarû* p. 44. Eadem inventio in brevius carmen contracta est p. 89. exclusis eis, quæ locum communem hunc nimis extenderent. Ex unâ itaque amoris & medicinæ Metaphorâ reciprocè applicata resultat hujus carminis inventio. Locus de muliere malâ, quæ cum morbô comparatur, ut remotior omissus est. Ut illô artificiô imitationis felicius utaris, colligenda tibi quædam excerpta sunt argutiarum, quæ consistere debent in Proverbiis, apophthegmatibus, similibus argutioribus, hemistichiis ac versibus, sententiis argutis, tam veteribus, quàm recentioribus.

C A P. IV.

De

*Impetu Naturæ, ac Ingenii  
facilitate in Inventione Ar-  
gutiarum.*

QVæ hæcenus adduximus inveniendorum acuminum artificia, ea quasi

quasi exterius arcessita sunt, ac nisi ingenii adsit facilitas & impetus quidam naturæ, facile in frigus & affectationem degenerant. Ista ingenii promptitudo in eò consistit, ut sit illud I. *εὐφραντασιωτόν*, facile deflectatur in objecta longinqua; II. ut acerrimâ judicandi vi polleat; ut enim alterum illud facit ad fecunditatem & multiplicationem inventionum, ita hoc ad earum delectum. Ista ingenii promptitudo vel est à naturali quâdam propensione, vel effectu aliquo, vel crebrâ etiam lectione, imitatione ac usu. Naturalis illa propensio optima est, ac si vel leviter arte juvetur, facile superat aliorum labores: sed si sibi soli relinquatur, peccat interdum affectatione. Illi tamen præ arte ipsa palma danda est, quod ex eò perspicere aliquis potest, optimas esse argutias illas, quæ fecundis illis ingeniis primò statim tempore incidunt, aut ex tempore proferuntur; degenerare verò, ubi aliâ quâdam per artem meditatione longiori conquiruntur, similes virgunculæ

illi Comicae, quae cum natura bona esset, curatura videbatur juncea. Cum enim in facili & celeri disciplinâ Metaphoræ & acuminis ratio consistat, ut ex Aristotele vidimus, oportet illa, quae statim incidunt, ut nobis oriuntur è facili ac celeri disciplinâ, ita alios quoque eadem afficere & delectare: quae verò diurnâ meditatione nobis constant, illa plerumque lectoribus vel auditoribus diurnam meditationem relinquunt, unde gratia argutiis perit, ac affectatio subnascitur, vitium à bona mente & judiciò alienissimum. Accidit etiam, ut affectus interdum acuat ingenium. Cum enim conceptus ille mentis in quâdam exaltatione seu emotione (si ita loqui licet) consistat, cum scilicet ad contemplandas ideas, se componit, hæc sublimitas & magnitudo vel ex naturali aliquâ vel defæcata animi facultate oritur, ad celeres motus subeundos apta; vel affectu quòdam vehementiori commovetur, atque ad gradum illum sublimitatis, quò contemplari ideas aptis-



ptissimus, rapitur, quo in statu non est animus quietior, ac objectis quotidianis relictus. Quod si ingenii facultas tardior est in concipiendis imaginibus, excitanda illa est aliorum conceptuum similitudine, & quasi manu ducenda. Fit illud lectione, vel auditione, vel imitatione crebrâ; quò tandem habitus aliquis menti inducitur, ut ipsa suâ sponte in similes rapiatur cogitationes, quibus si externa illa adjungantur adminicula, eò melius res procedet. Disciplina enim Enthusiasmo juncta feliciter promovet illam concipiendi promptitudinem. Atque hinc est, quod etiam *Longinus* ad τὸ ἘὐϞ orationis enthiasmum requirat, & Poëtæ quoque ad carmina scribenda. In carmine quidem si Enthiasmus absit, impetus scilicet naturæ & facilitas imaginum, nihil agitur: eamque ob causam videas Poëtâs aut invocare Deos, aut se numine commotos fingere.

De

*Locis Dialecticis, eorumq<sup>ue</sup>  
in Indagandis Argutiis usu.*

**Q**Uandoquidem Argutiæ, quæ in oratione adhibentur sive in carmine, comprehenduntur enthymematibus, de quibus supra diximus, enthymemata verò pro fontibus agnoscant Locos Dialecticos, vero est simile, inde etiam enthymematum argutorum petendam esse originem. Sive enim à causis, sive ab adjunctis, sive à diversis argumentemur, omnia in Dialecticis quasi in solò vel in fundò quodam continentur, unde ad varia orationis genera derivari argutiæ possunt. Et quidem quatenus conclusio aliqua inferenda est arguta, sive id fiat in Epigrammate, sive in oratione, vel in alio carmine, non alii agnoscendi sunt fontes, quàm isti; ut rectè quidem super illis doctrinam argutiarum fundaverit *Masennus*, uti simplices argutias super *Meta-*  
pho-

phoris, *Emanuel Thesaurus*. Quantum  
 verò attinet ad inventiones facilitan-  
 das, uti feliciter possumus indice illò  
 Categoriçò, ab Emanuele Thesauro  
 suppeditatò, de quò cap. sequenti plu-  
 ra. Cùm enim argutiarum inventio  
 consistat quàm maximè in contempla-  
 tione similium, illa verò per omnes re-  
 rum classes sint dispersa, magno com-  
 modo nostro erit, si habeamus quasi of-  
 ficinam aliquam omnium rerum, quâ  
 secundum seriem suam dispositæ sunt  
 res omnes, ut exinde feligamus, quæ a-  
 nalogiam quæsitam, unde acumen no-  
 bis oritur, exhibeant. Materiam ita-  
 que acuminum suppeditabit index ille,  
 sed forma aliunde quærenda est argu-  
 mentorum & enthymematum inprimis,  
 quæ loca Dialectica pro fontibus agno-  
 scunt. Illatio verò alia est, quàm vul-  
 gari in Dialecticâ fit: debet enim esse  
 ἰσοδοξία, ita ut vel contraria è con-  
 trariis inferantur, vel alienâ de re præ-  
 dicentur, aut quæ inesse debent, ne-  
 gentur, idque secundùm Metaphoras

suprà à nobis ostensas fieri potest, forma tamen argumentorum à Dialecticis petenda est. *Masenius* IV. fontes de Dialecticis derivavit, quò omnes argutiarum species refert. Primus illi est fons *Repugnantium* sive *Oppositorum*, ubi

1. Contraria cum Contrariis conjungit.
2. Contraria de eâdem re simul affirmat & negat.
3. Contraria de diversis subjectis oppositè affirmat & negat.
4. Contraria inter se connectit.
5. Contraria de se invicem affirmat.
6. Idem de se ipso negat, aut oppositè aliqua ratione affirmat.
7. Idem de subjectis diversis negat aut affirmat, quorum tamen alterutri tantum congruere videtur.
8. Unum contrariorum alteri præfert, aut substituit per correctionem, optationem, aut aliam figuram.
9. Alterum aut utrumque contrariorum non absolutè, sed conditione certâ aut dubitatione, aut sententiæ suspitione conjungit.     At-

Atque ita procedit in reliquis fontibus :  
 Fons enim secundus illi est *Alienatorum*,  
 quò à re disjungit, quæ ipsi conveniunt,  
 cui fonti generali 6. venas, ut vocat, aut  
 modos speciales subordinat, ut in priori  
 illò Repugnantium fonte. Fons ter-  
 tius Masenio est *Comparatorum* vel per  
 se, vel ratione proprietatis effectus,  
 aut conclusionis deductæ expectatio-  
 nem fallentium. Huic iterum subijcit  
 varios modos speciales. Quartus fons  
 ipsi est ex locò *Notationis*, quorsum re-  
 fert allusiones varii generis. Ex his  
 fontibus deducit *Masenius* omnium a-  
 cuminum genera, quæ coarctari etiam  
 possent, ac pleraque ad locos repugnan-  
 tium & comparatorum revocari; è ge-  
 minis enim illis fontibus potissimum e-  
 mergunt argutæ. Legi possunt plu-  
 rima, quæ ibi adducit exempla tum  
 Epigrammatum tum Apohthegma-  
 tum.

C A P. VI.

De

*Indice Categorico.*

**U**ltimum pro inveniendis argutiis  
 subsidium est Index Categoricalus.  
 Cum enim acumina nihil aliud sint,  
 quam conceptus rerum analogici, præ-  
 clarè nos juvabit, si ob oculos nobis po-  
 natur rerum series, è quarum vastò nu-  
 merò seligere possumus, quæ nobis sunt  
 utilia. Ac potest ille index nobis inter-  
 dum suppeditare cogitationes, ad quas  
 non pervenissemus sine istò subsidio.  
 Consilium ejus indicis primus dedit  
*Emanuel Thesaurus*, qui exemplis pluri-  
 mis utilitatem ejus monstravit, sed non  
 fuit ille primus, qui hujus rei usum a-  
 nimadvertit. Nam *Aristoteles* jam tum  
*Lib. 2. Rhet. c. 7. com. 11.* docuit, in am-  
 plicationibus rerum uti nos posse Ca-  
 tegoriis, earumque indicio rem vel am-  
 plicare vel minuere. Fuerunt etiam  
 non pauci, qui in orationibus & disser-  
 tationibus ex tempore habendis genera-  
 lem

lem aliquam rerum *εικονομαίαν* præscri-  
 pserunt, ad quam philosophari ex tem-  
 pore aut orare possent. Cùm enim, ut  
 Aristoteles *Lib. 2. Rhet. c. 22. §. 25.* ait,  
 quò plura eorum, quæ e re sunt, quis ha-  
 beat, eò facilius demonstrare possimus,  
 oportet talem artem, quæ ex rerum dis-  
 positione formatur, prodesse nobis pos-  
 se. Eam ob causam *Lullius* olim com-  
 munes quosdam prædicandi modos ex-  
 cogitavit, secundùm quos conceptûs no-  
 stros dirigere possimus; enata hinc est  
*ars Lulliana* multis inculcata volumini-  
 bus, ac Commentariis à Viris non in-  
 doctis ac ingloriis illustrata. Eïdem  
 fundamento *Kircherus* artem suam com-  
 binatoriam superstruxit. Commenti  
 sunt hinc alii alias rerum classes, sed, ut  
 mihi quidem videtur, opus non est no-  
 vos hinc rerum titulos comminisci, quum  
 occurrant in decem prædicamentis.  
 Omnia enim commodè illuc reduci pos-  
 sunt, & quoniam antiquitas ipsa hunc  
 ordinem tuetur, non opus est nova hinc  
 querere subsidia. *Lulliani* illi termini,

bonitas, magnitudo, duratio, doctrina;  
 potestas, sapientia, appetitus, virtus,  
 veritas, gloria, mutili sunt, nec omnia  
 comprehendunt, ac longè plura in præ-  
 dicamentis continentur. Scripsit &  
*Beccherus* organon pro verborum copiâ  
 in quavis materiâ expeditè acquirenda;  
 in quô organô vocabula latina sub certis  
 rerum titulis locat eô fine, ut unâ cum  
 verbis ipsis rerum quoque nexum ali-  
 quis sibi imprimat, qui labor illi magna  
 molestia constitit; nec culpandus est,  
 cùm utilis esse philosophantibus ac ali-  
 quid inventuris possit. Ille index pa-  
 rum differt ab indice Categoricô, qua-  
 lem volebat Emanuel Thesaurus: eidem  
 enim usui futurus: deficiunt tamen in  
 Syllabô vocum non pauca. Cùm enim  
 ad voces tantùm ille intentus fuerit, o-  
 misit conceptus quosdam Philosophicos,  
 Poëticos & fabulosos, qui tamen in tali  
 indice magno usui ad inventiones esse  
 possunt. Lullius, alique, qui classès  
 rerum ad prædicamenta comùnìa retu-  
 lerunt, eô fine fecerunt, ut esset de qua-  
 cui-



cunque re ex tempore differendi mate-  
ries. *Janus Cæcilius Frey*, in libellò,  
quem inscribit: *Viam ad scientias, lin-*  
*guas, sermones extemporales*, inter cœ-  
tera etiam monstrat, quomodo 10. præ-  
dicamentis ad dissertationes extempora-  
les uti possimus, quomodo locis Diale-  
cticis. Nam certè perinde est, quâ quis  
directione utatur, in rerum concepti-  
bus, modò methodum, quam sibi præ-  
fixit, bene habeat cognitam. Præcœ-  
teris commodior tamen illa Categori-  
arum dispositio ad investigandas rerum  
analogias est, unde conceptûs arguti  
formantur. Si quis e. g. Indicem Ca-  
tegoricum conficere velit secundum du-  
ctum *Thesauri*, sub titulò *Substantie* col-  
locet DEum, Deos fabulosos, majores,  
medios, infimos, cœlestes, aëreos, ma-  
ritimos, terrenos, infernales, Pluto-  
nem, Proserpinam, Furias, Angelos,  
Dæmones, cœlum, stellas, signa cœle-  
stia, Zodiacum, Sphæram, circulos  
cœlestes, auram ætheream, IV. Elemen-  
ta, Vapores, exhalationes, ignes sub-

terraneos, scintillas, aërem cum suis Meteoris, aquam, maria, flumina, fontes, lacus, terram, campos, prata, solitudines, montes, colles, promontoria, valles, præcipitia, corpora mixta inanimata, petras, marmor, gemmas, metalla, mineralia, plantas, herbas, flores, virgulta, arbores, corallia, animalia, terrestria, fera, mansveta, aquatilia, aërea, monstra, hominem, sceminam, androgynum, substantias artificiales, scil. instrumenta singularum artium, ut circa scientias in universum sunt libri, penna, charta, atramentum; circa mathematica, ut sunt globi, circuli, tabulæ geographicæ; circa architecturam, ut sunt palatia, templa, tuguria, fortalitia, turres; circa rem militarem, ut sunt arma, scuta, tympana, trophæa, tubæ, &c. circa artem fabrilem, ut sunt secures, ascia, machinæ, ferræ, &c. præter substantias physicas referri huc possunt Metaphysicæ notiones, ut genus, species, differentia, proprium, accidens, nomen, cognomen, ubi ob-

fer.

ferves, plus infervire interdum Metaphoris classes accidentium, quàm substantiarum. Sub Categoriâ *quantitatis* collocare ista potes: quantitatem molis, parvum, magnum, longum, breve: quantitatem numeralem, nullum, unum, duo, tria, pauca, multa: quantitatem ponderis, grave, leve: æstimationis, pretiosum, vile: in genere mensuram, partem, totum, perfectum, imperfectum, infinitum.

Sub Categoriâ *qualitatis* ponantur 1. qualitates sensibiles, visibile, invisibile, apparens, pulchrum, deforme, clarum, obscurum, falsum, nigrum, purpureum, viride: sonus silentium, sonus gratus & ingratus; odor suavis & foetidus; sapor bonus & málus, calidus, frigidus, rancidus, siccus, spissus, humidus, &c. 2. qualitates figurales, directum, tortum, rotundum, quadratum, triangulum, acutum, obtusum, &c. 3. qualitates exterius denominantes, ut infamia, fama, fortuna, infortunium. 4. qualitates externæ naturales, sanus, infirmus, &c. 5. qualitates

tates passionis, lætitia, tristitia, amor, spes, timor. 6. qualitates intellectuales, sapientia, ignorantia, ars, inertia. 7. qualitates morales virtus, vitium.

Sub Categoriâ *Relationis*, cognatio, societas, amicitia, sympathia, inimicitia, antipathia, simile, contrarium, superius, inferius, causæ rerum, efficiens, effectus, materia, forma, finis, privatio, nomina, tituli, veritas, falsitas. Sub Categoriâ *Actionis & Passionis*, potens, impotens, facile, difficile, noxium, jucundum, utile; operationes naturales, producere, nutrire; operationes Politicæ, regnare, judicare, litigare; actiones mechanicæ, facere, destruere, labor, otium, quies; actiones ceremoniales, festivæ, funebres, sacræ.

Sub Categoriâ *Situs*: altum, profundum, planum, jacens, pendens, decussatum, dextrum, sinistrum, medium, intus, foris. Sub Categoriâ *Temporis*; durable, momentaneum, novum, vetustum, principium, finis.

Sub Categoriâ *Loci*: capax, incapax, ple-

plenus, vacuus, motûs locales, velox,  
lentus, directus, obliquus, ex locô, per lo-  
cum, ad locum, circa locum.

Sub Categoriâ *Habitus*: vestimenta,  
insignia, arma, ornamenta, instru-  
menta.

Atque hi sunt generales tituli singu-  
larum Categoriarum, quas Emanuel  
Thesaurus per paginas disponendas  
suadet, ut subjiçiantur hinc illis speci-  
aliora; cujus ille exemplum affert, ut  
rectius ejus indicis usus pateat. For-  
mat scil. argutos conceptus in Nanum  
vel Pygmæum.

In exemplô hoc Emanuelis Thesauri,  
quanquam non pauca habeantur frigi-  
diora, artificium tamen eam ob causam  
non est contemnendum, cum si quid  
vitii accidat acumini, illud potius ab  
ineptâ applicatione & neglectu delectus  
oriatur; nec fieri potest, ut omnia ejus-  
dem sint bonitatis. Quod si itaque vel  
Epigramma scribendum est, vel inscri-  
ptio aliqua, vel arguta oratio, fatis ma-  
teriæ erit, unde exstruatur talis aliqua  
ora-

oratio; eâdem ratione cum similibus res institui potest; sic indicem potest construere rerum magnarum, longarum, brevium, unicarum, bigarum, trium. Sic in *Categoriâ Qualitatis* indicem conficies rerum invisibiliû & apparentium, bellarum, pulchrarum & deformium, clararum & obscurarum. Ita in reliquis Categoriis, Relationibus præcipue & actionibus, formabis præstantiores & vivaciores Metaphoras verborum, quibus Poëtæ frequenter uti solent.

Ut beneficiô indicis Categoricalis propositiones argutæ inveniri possunt in themate aliquo simplici: ita ex thematibus compositis enthymemata elici possunt ejusdem indicis beneficio; quæ ut sunt in argutiarum ordine prima & præcipua, ita & meditationis subtilioris sunt. Nam & per reflexiones deductiones mutuas illa exstruuntur, quib9 addi possunt paralogismi sive modi argumentandi Sophistici, per quos enthymemata talia proponuntur: peculiaris enim hîc argu-

argumentandi forma est. Ut enim Sophista per paralogismos falsum intendit, ita orator urbanus, vel Poëta argutus per eosdem verum. Tales verò argutia non facilè nascuntur è simplici rerum conceptu, sed addendum aliquid est, quod alium conceptum vel comparatum, vel alienum, vel repugnantem involvit. Ita ex collatione geminorum vel plurium inter se conceptuum argumenta possunt inveniri subsidiò Indicis Categoricali. e. g. si argutias aliquas inventurus es super apiculam electro inclusam, (in quod argumentum existunt varii Poëtarum lusus) steriliora habebis objecta, si vel solam apiculam, vel solum electrum ad indicem Categoricalum revocaris; si verò gemina inter se contuleris objecta per rationes apparentes vel paralogisticas, elegantissima tibi nascentur enthymemata arguta. Hæc cum inter se conferret *Martialis*, illas conclusiones fabricat: *Credibile est, illam sic voluisse mori, nobiliore tumulto Cleopatra non conditur, apicula mor-*

*mortua pretiosior quàm viva.* Quæ enthymemata oriuntur ex oppositione duorum objectorum, ap<sup>is</sup> & electri. Sic e. g. si thema tale formes: *Labrax in mari mergitur*, sterilius est, quàm sic: *Labrax insulsus histrio mari mergitur*: in eò enim est quædam ad objecta reflexio, unde alia enthymemata formes: *bene est, quod qui insulsus erat, salsus est factus: nimis potavit homo jejunos: an mergi putuit excerebrati vacuiq<sup>3</sup> capitis vir?* item: *in Neptunio Theatro dignas histrio larvas invenit.* Eundem modum ex thematibus infœcundis reddere fœcunda docuit Aristoteles *Lib. 1. Rhet. c. 9. §. 60.* his verbis: *quod si ex ipsò non faciliè invenire potes, quod laudes, aliis compara.* e. g. *Martialis nigros fœminæ cujusdam dentes perstricturus comparat illos cum falsis dentibus alterius fœminæ, atque ex eâ comparatione argutum illi enthymema nascitur egigrammate dignum:*

*Thais*



*Thais habet nigros, niveos Lecania  
dentes*

*Quæ causa est? emtos hæc habet, illa  
suos.*

Quod si Martialis epigramma formâ-  
set solò hoc concepta: Thais habet ni-  
gros dentes, quia habet suos, nullum  
fuisset acumen & inepta illatio: ex com-  
paratione verò acumen nascitur sic, Le-  
cania haeret albos, quia emtos habet,  
Thais nigros, quia suos habet. Quâ  
comparatione gemina enthymemata ar-  
guta proponuntur, sed quæ acumen non  
habent nisi simul proferantur, atque ex  
comparatione lucem inveniunt. Quod  
si jam thema hoc, *apis mortua in electro*,  
proponatur, super quò meditando in-  
veniri debeant enthymemata arguta,  
IV. distincta objecta in illò themate in-  
veniemus, per indicem Categoricalum  
deducenda: 1.) *apis*, 2.) *Electrum*, quæ  
duo subjecti locum occupant; 3.) *intus*,  
4.) *mors*, quæ ad prædicatum pertinent,  
Ponantur ergò

I. Duo Subjecta :

APIS.

ELECTRUM.

*Substantia.*

|                   |                      |
|-------------------|----------------------|
| Animans           | Gemma inanis         |
| Fera              | Heliadum Sororum     |
| Avicula           | Arborum sudor        |
| Corpusculum vivax | Humor concretus, Vi- |
| Insectum          | icus, Gelu           |

*Quantitas.*

|           |                                |
|-----------|--------------------------------|
| Puſilla   | Gutta, Stilla                  |
| Levis     | Aureum pondus                  |
| Brevis    | Rara merx, informe<br>corpus   |
| Monſtroſa | formas ſe in omnes<br>vertens. |

*Qualitas.*

|   |  |
|---|--|
| Flava   | Flavum melli conco-  |
| Auricular (ferrei enim<br>prius coloris erat,<br>quem jupiter mutavit<br>in aureum) | lor, illuſtre, perſpicu-<br>um, clarum, pretio-<br>ſum, ex fluxu aridum, |
| Sonora, Ingenioſa, So-<br>lers, ſedula, caſta, vi-<br>lis, metuenda.                | tenax, gelidum, fragi-<br>le, ſterile.                                   |

*Relatio.*

|                 |                   |
|-----------------|-------------------|
| Fimo genita     | Ex populó genitum |
| Mellis genetrix | Matronis charum   |

Nobi-

Nobilissima inter in-    Speculo simile, auro,  
secta                                vitro,

Jovis nutricula

Fera socialis

Reipubl. amans

Fucorum hostis

Regi fida

Colonis chara

Harpyis similis, Ama-

zoni, Pegaso,

Aristæi inventum

*Actio & Passio.*

Hortos populatur

Dulces è floribus suc-  
cos delibat

Furunculos infecta-  
tur

Nocuisse nocet

Telum jaculatur

Venena fundit

Nectarios molitur fa-  
vos

Facibus ceras mini-  
strat

Aliis mellificat

Domos architectatur

Rempubl. regit

Legibus paret

Pro lege militat

Fumo necatur

Magneticâ virtute pa-  
leas rapit

Animalcula illaqueat

Labra mordet.

Oculos allicit

Phaëthontem extin-  
ctum deflet

Artificum torno expo-  
litur.

*Locos*

*Locus & Situs.*

|                       |                                    |
|-----------------------|------------------------------------|
| Hyblæa                | In Eridani ripâ                    |
| Cecropia              | Ad Phaëthontis se-                 |
| Hortorum cultrix      | pulchrum stillat                   |
| Enata floribus        | Armillis inferitur                 |
| Cerææ urbis inquilina | Thesauris ac serinolis asservatur. |
| Dulces nidos fovet    |                                    |

*Motus.*

|                            |                              |
|----------------------------|------------------------------|
| Per florea rura volitat    | Trunco hæret & profuit       |
| Vagatur semper fugax       | Lentum, segne: unde adagium: |
| Quasi aliger equus & eques | resina pigrior.              |
| Dum volitat pugnat,        |                              |

*Quando.*

|                                 |                                |
|---------------------------------|--------------------------------|
| Brevis ævi                      | Æternum, immortale             |
| In castris hyemat               | Vere liquatur, densatur brumâ, |
| Vere novô prodit                |                                |
| In aurora roscidum nectar legit |                                |

*Habitus.*

|                        |                    |
|------------------------|--------------------|
| Pennigera              | Aurium appendix,   |
| Alata                  | Virginum gestamen, |
| Loricata               | Monilium decus,    |
| Armata                 |                    |
| Tubam & hastam gestat  |                    |
| Ipsa telum & pharetra, |                    |

His

His adjungi possunt conceptus de morte per Categorias inducti. Sub Categoriâ *Substantiæ* mors concipi potest ut substantia aliqua Metaphysica, aut idea quædam, vitæ tyranna. Quibus addi possunt conceptus fabulosi, Parca, fatum, Libitina. Ad substantias phycas pertinent cadavera, ossa, cinis.

Sub Categoriâ *qualitatis* considerabis crudelem, invidam, insidiosam, frigidam, pallidam. Ad Categoriâ *Acti-  
onis & Passionis* pertinent occidere, exspirare, animam ponere; item Ceremoniæ funebres, exsequiæ, næniæ, præfixæ. Ad Categoriâ *Loci*, rogos, bustum, urna, sepulchrum, Mausoleum, pyramides, campi Elysi. Ad *instrumenta* pertinent mortis faces, telum, forfex, funebres faces, cadaverum conditura.

Restant jam Notiones *Quarti objecti*, particulæ scil. *Intus*, quæ ex indice Categoriçõ considerabitur, nimirum ex indice substantiarum localium, quâ ratione translata multa inveniri possunt. Itaque sub hõc conceptu considerabis

F avem

avem in nidulo, in cavea, in visco, feram in latebra, in reti, supellectilem in arca, apem in cella, navigium in portu, gemmam in scrinio, telum in pharetra, hospitem in æde, dormientem in thalamo, naufragium in vortice, reum in carcere, militem in acie, mortuum in sepulchro, in Mausoleo.

Quatuor his objectis ita in ordinem dispositis sub suis Categoriis, simplices, ut ita dicam, notiones formantur primum, unde simplicia quædam translata investigari possunt. Itaque apiscorsim considerata sola permissione notionum sub illò genere contentarum, vocari potest ingeniosum insectum, hyblæa, ales Cecropia, nobilissima fimi filia, aurea Jovis alrix, Aristæi alumna, florum prædo, floræ satelles, cerearum ædium architecta, nectaris propinatrix, pusilla hortorum harpyia, loricata avicula, alata Amazon, volatilis tuba, viva telorum pharetra, furuncolorum terriculum. Sic electrum vocari potest, per translationes è suò genere petitas,  
pre-

pretiosum gelu, luctuosa Eridani gemma, jucunda Heliadum lachryma, lapideum mel, aridus liquor, concretus fluor, aurum fragile, gemmeus arborum sudor, gelidus ignis, viscosa lux, insidiosus fulgor, avicularum illex & pedicæ, gemma trahax, rapax, fulva Eridani suppellex, lubricæ opes, tenaces divitiæ, sudatus lapillus, flebilis gemma, lapis non lapis, Heliadum fletus & monile lachrymosum, matronarum delictum, nobile aureum pondus &c.

Ex simplicibus Metaphoris nascuntur reflexiones argutæ seu propositiones, quæ non nunquam etiam enthymemata involvunt. Si themati huic insistentium, primùm è geminis illis objectis ape scil. & electro exstruendæ propositiones argutæ remotâ consideratione illâ, quod mortua apis sit. Per singulas itaque Categorias hoc modò deduci possunt.

*E Categoriâ Substantiæ.*

Novâ Metamorphosi olim flebilis Niobe in saxum, nunc apis flebilem in gemmam

mam migrat; miræ deliciae! apis inter gemmas numeratur; lapis animatur, animans lapidescit; Medusam vidit apicula, imò eadem Medusa est & lapis; novas ingeniosa natura docet insitiones, in arbore gemmas, in gemmis apes: prodigiosa fecunditas! lapis aviculam parurit.

*E Categoria Quantitatis.*

Apis in guttâ hâc unicâ Rempubl. perosa sola, suum implet alveare, & pupillâ se in aulâ jactat.

*E Categoria Qualitatis.*

Fulva apis fulvâ lucet in gemma, electrum dixeris in electrô; alget apis in flammâ, ardet in glacie: quid enim electrum nisi flammeum gelu? utilissima rerum apis electro pretium asserit: at nescias, utrum utri plus conferat electrum api, an apis electro. Pretiosior sanè est captiva quàm libera, eò carior, quò clarior. Hem! voluptarium puellarum terrorem! apis in gemmâ de alienô superbit, apis luce fulgens non suâ.

*E CA-*



*E Categoriâ Relationis.*

Electro cedat unio : hic à pisce gignitur, hoc autem gignit. Jovis altrix præmium alterum tulit, olim aurea, nunc gemmea; imaginem cernis, quam nemo expressit, sine cælô calatum; nimis ipsa sui amatrix apicula perpetuò se miratur in speculò, & Narcissi instar imagini suæ immoritur.

*E Categoriâ Actionis.*

Arbor apem, apis oculos rapit: ex istâ gemma conficit pateram, nectar apicula propinabit. Ad Phaëthontis sepulcrum dolens apicula lachrymis; aucupio delectantur Heliades, viscus est lachryma, incauta apis in lachrymis invenit insidias; in furtò deprehensa gemmeis compedibus tenetur; non impunè arbores pupugit, ut flores; florum prædo fit arborum præda; avaræ volucris viscus est gemma; electrum vidit apicula, mel opinata; in illecebris laqueum reperit; dolosas Heliadum experta gemmas, viscata munera.

*E Categoria Loci & Situs.*

Apum Regina regiam reperit, qualem nec Semiramis; auream domum sibi condidit Nero, ap̄is gemmeam; sumtuosa hæc ap̄is in gemma nidificat; in speculô ut in speculâ excubias ducit; gemmam custodit ap̄is, quâ custoditur; ubi asylum sperabat, carcerem invenit.

*E Categoria Temporis.*

Strenua bellatrix ap̄is hyemat in gemmâ, æstivat in glacie; brevis ævi ap̄icula in electro immortalis; nuper avis, nunc lapis.

*E Categoria Motus.*

Fessa laboribus vernis ap̄is vacationem obtinuit in gemmâ, castrorum desertrix in ostrô cubat, in liquidô hæret, in siccô natat; effugere si posset, nollet; illustrem sortita carcerem, rara avis; volucris gemma.

*E Categoria Habitus.*

Novum indumenti genus! vestita est ap̄is, & nuda pellucet. Videre hinc licet, quàm multa exstrui possint, ex duobus

obus his objectis unius indicis Categori ope , quæ multis Epigrammatibus materiam darent , si accederet bonus orationis cultus & numerus poëticus , qualis Epigrammati convenit ; quâ in re si quis exerceri velit , hæc sibi themata præscribat , ac Epigrammata inde quædam conficiat , additâ quâdam figurâ Rhetoricâ . Si jam tertium addatur subjectum themati , nova prodibit propositionum argutarum copia , quæ inservire Epigrammatibus conficiendis possunt . Hæc itaque educentur .

*E Categoriâ Substantiæ.*

Titulô non eget hic tumulus , latentem cernis ; lethalis hic succus quam necuit servat ; dubitas , apisne mortua sit an electrum vivat ? exanimatum corpus suum animavit sepulchrum .

*E Categoriâ Quantitatis.*

Pusillum hoc sepulchrum Mausoleo insultat ; apicula mortua est & reviviscit in electrô , unicus jam non est Phœnix .

*E Categoria Qualitatis.*

Obscura olim avicula dum extingvitur lucet; hōc cadavere nihil pulchrius, hāc umbrā nihil clarius: campum Elyfium habet in gemma; pretiosum hoc funus invidiam morti detraxit.

*E Categoria Relationis.*

Gemmeum apiculæ typum cernis in prototypo; sese ipsa finxit & fixit; Narcissi fatum experta est apis; in speculō muta, hanc puellæ vivam oderunt, mortuam colunt.

*E Categoria Actionis & Passionis.*

Exigua hęc artifex majori ingenio cadaveri cavit quā corpori; illa sibi domum molita sepulcrum invenit gemmeum, nec lacrymis eget nec face. In lacrymis conditur, in tumulō lucet; crudelis Nympharum pietas, innocuam avem, dum lugent, necant; hanc an amore an odio perimant, nescias; complexu præfocarunt mortuæ; Heliades hostem occiderunt; mors auceps in gemma latet.

*E CA-*

*E Categoria Loci & Situs.*

Huic cadaveri sepulchrum non debes, sed scrinium; nobili læta letho volucris fimo genita in gemmâ moritur; sepulchri pulchritudine capta mortem sollicitavit; hunc tumulum violabit nemo, pretium vetat. Rapax volucris rapaci conditur gemmâ; florum Harpyia sic condi debuit.

*E Categoria Motus.*

Fugacem licet aviculam lenta mors tenuit; casses addiderat inter gemmas; diu pennis velificata charybdim reperit in gemmâ; novum malum; in lapide mergi.

*E Categoria Temporis.*

Quod immortalis est apis, nihil superis debet, sed morti. Lethali hęc succinõ mors apem perdidit, apis mortem.

*E Categoria Habitus.*

Gemmeum cadaver cerne, tales gemmas Proserpina gestitat. Inops victitavit apis, dives moritur.

Quemadmodum jam è simplicibus Metaphoris facilè fabricantur propo-

tiones vel reflexiones , quibus aliquid ingeniosè affirmatur vel negatur : ita ex his facilè confiunt Enthymemata & ratiocinationes argutæ , quæ vel Logicæ sunt sive rationales , vel Ethicæ sive Morales , vel Patheticæ sive affectuosæ. Cùm enim Enthymemata illa misceantur ex argumentis Logicis & Rhetoricis : Rhetorica verò argumenta in his tribus consistant , argutæ etiam consequentiæ secundùm tria illa genera formari possunt , viam monstrantibus vel paralogismis , vel argumentis etiam Dialecticis. Ratiocinationes illæ Logicæ educuntur ex themate , vel adducendo aliquam rationem antecedentem , vel deducendo aliquam consequentiam. Atque hic interdum solò aliquò themate propositò , reflexio , quæ inter subjectum & prædicatum beneficio Indicis Categorici è mutuâ combinatione nascitur , per se idonea est parere consequentiam , ut videri potest è propositionibus antea propositis , quæ si cum themate suo jungantur , jam tum  
per

per se enthymemata conficiunt; e. g. thema erat : *Apis in electrô perit*, ejusdemque enthymematis altera propositio. Quæ sequuntur propositiones jam tum in prioribus notatæ, rationis vicem obtinent, ideoque primo suo themati junctæ enthymemata pariunt, unde epigrammata facili negotio contraheri possunt. Propositiones illæ sunt: *sepulchri pulchritudo ad mortem sollicitavit: simo genita in gemmâ mori voluit, ut obscuritatem natalium illustri morte aboleret.* Et sic è cæteris Propositionibus levi operâ Enthymemata conficies, quæ tamen una cum propositionibus suis pro fundamento habent Metaphoram illam, quâ apis repræsentatur ut objectum electionis & arbitrii capax. Ex aliis objectis & circumstantiis, quæ in indice Categorico exprimuntur, alia oriuntur enthymemata; qualia scil. objecta fortè sunt Jupiter, Natura, Mors, Populus, (arbor quæ generat electrum) sepultura Phaëthontis, Nymphæ, quæ olim fuerunt mutatæ in populum arborem.

F 6

rem. Ex primò hoc Enthymema con-  
 ficias: *Miraris apiculam in electrum ver-  
 sam? Jupiter altricem inauraverat.* Ex  
 secundò hoc: *Viscatas natura gemmas  
 commenta est, ut avaros falleret.* Ex  
 tertiò illud: *Electro hasisse apem miraris?  
 mors fugacem sectata temerè telo, fœmina,  
 inquit, est apis, suâ illam escâ tenebo.* Ex  
 quartò: *impunita flosculorum vulnera,  
 arbores vindicaverunt.* E quintò: *in  
 Phaëthontis funere plus peregrina debuit a-  
 vicula, quàm sorores: nam ille in arbores,  
 hoc in lapidem abit: ille lacrymantur, hæc  
 in lacrymis mergitur.* Ex sextò: *hoc me-  
 ruit audax supplicium, quod telo in mor-  
 tuò sevierit, & infelices Nympharum ma-  
 nes provocarit: meritò in lacrymis periit,  
 quæ lacrymantibus insultavit.* Atque ita  
 ex multis aliis circumstantiis è singu-  
 lis Categoriis petitis plura deducere  
 poteris enthymemata per rationes ad-  
 ductivas. Idem fieri poterit in conse-  
 quentiis deductivis: Præsuppositò enim  
 hoc themate, *apis in electrò moritur;*  
*vel, apis in lapidem versa;* *vel, apis in*  
*lacrymis moritur, vel qualicunque al-*  
 terâ



terâ propositione è superius notatis nullo negotio hinc consequentias argutas deduces, ut : *ubi mors non est? igitur gemma nocent, si gemma nocent. Quid usque tutum, si volucris in sicco naufragatur? Quid non timendum, si ipsâ in luce insidie lateant? Quis mortem effugiet, si volantes illaqueat? post apim in gemma conditam nullo miraculo est Mausoleum.* His adjungi possunt consequentiæ mordaces & facetæ, e. g. si quis dixerit ad pigram & segnem puellam: *Cave apem hanc gestites fucos odit. Ad lascivam: ne si nufoveas hanc gemmam, liquatò gelu vires resumet apicula.* Et talium consequentiarum permultæ possunt excogitari. Quod si jam amplius ad Enthymemata morata descendimus & hæc educi è præsentithemate possunt. Atque id eo modo fit, ut reflexiones metaphoricæ particulares applicentur generali alicui axiomatici, quod ad statum vel publicum vel privatum spectat. Atque hæc enthymemata pleraque sunt paralogismi deductivi, quæ è facto particulari deducunt consequentiam aliquam univer-

salem. Sit e. g. reflexio metaphorica:  
*Apis Heliadum lacrymis irretitur; Consequens hinc formabis: Cavete igitur, in puellarum lacrymis insidia sunt, dolor & dolus. Mellis specie apem fallunt Heliades, hoc puellares solent illecebra. Fluente gemmâ tenetur volucris, nimirum lubricæ opes, dum servant, detinent, Vides ut gemmeo nitore virulenta tegitur fera: sic nitido sepe in corpore monstrum delitescit. Volucrem gemmam miraris? sic reliquæ sunt opes.* Similes consequentiæ infinitæ penè excogitari possunt, quanquam non sint omnes ejusdem acuminis & bonitatis. Videre tamen ex exemplo illo possumus, quid ingenio humano liceat, si quis omnes excutere oculos velit.

Porrò si entymemata pathetica deducere velis: illa quidem à reliquis Entymematibus non differunt; quod enim essentiam eorum attinet, idem poterit esse & rationale & mortale. Quemadmodum si dixeris: *apis merito perit, quia in mortuos seviit*, & Entymema hoc rationale erit, & urbanum & argutum,

tum, quoniam ratio metaphorica est, non propria. Illud idem morale erit, si axioma morale inde deduxeris: *Apis in mortuos sevens meritò perit; non igitur in mortuos seviendum.* Quod si huic Enthymemati junxeris per formulam aliquam expressivam impressionem affectus alicujus particularis, enthymema morale mutabitur in patheticum, ut per formam indignationis; *ô indignum facinus! meritò periisti crudele monstrum, in mortuas Heliades severe ausum!* Per compassionem: *heu! avicula infelix, noxa tibi fuit mortuis nocuisse.* Per odium; *Apasge pennata furia, meritò interitura, quod mortuas in virgines seviisti.* Atque eum in modum per omnes affectus & figuras patheticas enthymemata illa deduci possunt.

Videri his exemplis potest, quanta sit horum locorum utilitas, si quis accuratè excusserit illos, siue adhibeamus ipsi per viam inquisitionis, siue ultrò se nobis ingerant talia, reduci tamen omnia ad locos illos possunt. Unde patet

tet non esse hanc inutilem operam, si quis in istis inveniendis se exerceat. Nos promissi memores exempla hic duo subministrabimus, unum thematis simplicis, alterum compositi. Et primum quidem erit de *Gigante*, de quò ex indice Categoriçò conceptûs argutos formaturi sumus, qui plerique hyperbolen pro fundamentò habent: illa enim huic argumento quàm optimè quadrat. Conficiatur itaque primum index Categoriçus Substantiarum magnarum & longarum, secundùm substantiæ Classis distinctus.

*Expressio rerum magnarum & longarum.*

Res supra cœlestes: Semidei, Hercules, nocturni Lemures; Cœlestes: Cœlum, circulus, umbra vespertina, Bootes; Res elementares: Insula mobilis, mons Athos, è quò Alexandri effigiem sculperè volebat insignis statuarius, scythica rupes, Rhodopeja cautes, jugera, maria, Dæmogorgon, promontoria; animales res: balæna Magellanica, bos, elephas, molossus; Vegetabiles; abies,

ce-

cedrus, ilex, platanus; ad scientiam pertinentes: litera longa, linea infinita, pertica, milliaria, catapultæ, arietes, turris, columna, pyramis, palatium, Mausoleum, telamones, Colossus Rhodius; Res fabulosæ: Cyclopes, Polyphemus, Cybele turrita, Atlas, Enceladus, Stentor: Hæc ferè sunt, quæ circa hoc argumentum incidere possunt: Jam si aliò indice directoriò utamur, de quò supra diximus, provenient nobis è combinationè mutuâ isti conceptus arguti.

*Ex prædicamentò Quantitatis.*

Dii boni! quid hoc monstri est? Homo enim non est, qui universum humanum genus excedit; nisi fallor, dæmogorgona video: fallor, non video, nam peregrinatur in tam immani mole oculus, nec tam vasti corporis capax est una pupilla, quæ ne particulam quidem ejus tota capit. An nova hic ambulat ex Atho monte Alexandri statua? an animatur Colossus Rhodius? Si mensura ejus ineunda sit, operam ludet Geometra deficientibus instrumentis; terræ motum

tum incutiet tam vastum pondus, si fiat: si movebitur mobilem sistet: si corruat, una ruina omnes involvet, ac tumulum sibi suæ molis gravitate excavabit; Æt-  
nam facillè excusserit Encelado major & valentior; abies & procera robora vix talos illi tangent, passiones sunt, cum illò si contuleris Anthaum & Cyclopes; Elephas cum illò comparatus musca erit; balæna Magellanica mus; à capite ejus ad calcem multarum parasangarum iter est.

*E Categoriâ Qualitatis*

Ater an albus sit ignores: non judicat tam longinqua oculus, nam caput inter nubila abscondit. Sapientem non facillè dixeris, impar est cerebro tam vasto implendo tenuis animula, neque an domi illic sit, an in exiliò, bene satis novit. Vocem ejus fuge, ne cerebrum tibi excutiat: nam si Stentor quinquaginta hominum clamores, hic quingentorum Stentorum voces facillè superabit. Nihil timet, nisi ne cælum ruat, cujus tamen ruinam non nisi vulneribus quibusdam  
ex-

expiabit. Artes an calleat incertum est; si quis operâ ejus uti velit, montes manu congerat, sylvas comportet, naves manu propellat eâdem ufurus pro ariete, & catapultâ, illum non ædibus, sed integris urbibus fulciendis Telamonem habebit.

*E Categoriâ Relationis.*

An genitus sit, non constat? vel ex ovô Orphei prodiit, vel chaô vel orcô. Parca non vitæ fila sed rudentes illi nexerunt; matrem non habuit, neque enim humanus uterus vel embrioni huic suffecerit. Terræ filius est, sinu ejus conceptus & editus, aut jam nova metamorphoseon secula sunt, & montes in homines mutantur. Alius ex Oceani vastô uterô animatam prodiisse insulam existimet. Nisi fortè ex aliquô orbe in terram hanc infelici puerperio injectus. Non imèritò quæsieris, unde materies suffecerit huic operi, compingere certè in unum hominem natura voluisse videtur, quod integro sufficeret populo. Si conjugio conjungi velit, parem non  
in-

inveniet, aut si malo nostro inventurus sit, ac tertium parem genuerint, tres inter se orbem dividunt, spatio exclusuri cæteros.

*E Categoriâ Actionis & Passionis.*

Quid faciat vel facturus sit, rogas? Superi sibi jam de novô bellô metuant. Cùm ambulat, passus ejus stadia sunt. Orphea hunc rediisse putes, cujus ad cytharæ sonum montes ambulant & sylvæ. Unus pugnaverit contra exercitum justæ staturæ, homines fundâ transmissurus in alterum orbem. Habitus ejus procellas mari immittet, naves subvertet pugno. Urbes expugnet, populos prostrernat, spiritu difflet legiones; Tela, gladios spernet, non penetrant cutem tam crassam arma. In unius diei victum illi seculis integris natura laborat.

*E Categoriâ Temporis.*

Quando natus sit incertum: nemo infantem, nemo puerum vidit, sed semper sibi similem, ut terra illum edidit. Non hujus seculi hominem dixeris, qui superiora respicit secula. Si par moli vi-

vi-



ta esse deberet, nemo pares illi annos temerè definiiverit, saltem æqualem cum annosa ilice vitam illi credideris. Aggredi monstrum sæpe se deformius mors ipsa timet, nec penetrant ejus tela tam immane corpus. Nulla manu cadet, nisi mole aliquando ruat suâ, supplicium illi frustra decernes. Nemo jugulum petet, nemo suspendium parabit, cujus digitus aliis esset pro furcâ. Nisi Jovis tela è proximis nubibus metuat, immortalis erit.

*E Categoria Loci.*

Nusquam habitat nisi secum habitet; si domum illi quæsiiveris, non montes multi congesti æquale habitaculum præbeant; rectius illum Cosmopolitam dixeris, qui suum secum circumferat palatium; nullo commodius sepulchro tumulabitur, quàm quò prodiit terræ uterò, nisi & ille angustus fuerit. Enceladi busto certè non continebitur.

*E Categoria Situs.*

Cum stat, vel altissimas pyramides superat, totque populorum luminibus affi-

officit; jacenti jugera non æquum cubile præbeant; pontem mari sternat; nisi monte aliquo sedeat, sedile non inveniet; non tantum onus vel Elephas vehat, non equus Trojanus integri exercitus habitaculum recondat.

*E Categoriâ Habitus.*

Non integræ illi officinæ materiam vestium dederint; qui circumponat nemo erit, vel nudus satis se ipso armatus & cataphractus, cute suâ plus, quam elephanti corio tectus; vel pilorum sylvâ à telis immunem reddit.

Plura poterunt excogitari, si quis his fontibus ulterius insistere velit, atque ad specialiora descendere. Sed sufficiat nobis, exemplo monstrasse viam, cui nunc alterum subjungemus, Iusum scil. *in anum juveni nubentem*. Quod quia thema compositum est, ac plura objecta habet, secundum omnia illa considerari debet. Evolvamus primo indicem Categoricum rerum vetustarum & deformium.

*Ex-*

*Expressio rerum veterarum & de-  
formium.*

*E Categoriâ Substantiæ.*

*Res spirituales*: Dis, Vulcanus, Ditis  
conjux, Proserpina, Mormolyceion,  
Hecate, Libitina, Furiæ, Parcæ, Næniæ,  
Satyri, Tritones, Succubi. *Formæ in-  
corporeæ*: Ideæ, umbræ, larvæ, lemures,  
Megæra, Alecto, orcus, Empusa. *Res  
cælestes*: caput Medusæ, caput & cauda  
Draconis, ecclipses, Cometæ, Draco,  
Scorpius, ursa major & minor, Bootes,  
Hesperus, Saturnus, Mars, Capricor-  
nus, bruma, Zona frigida. *Res elemen-  
tares*, (1) *Terrestres*; Chaos, Erebus,  
nox, Caverna, Rupes, Tumulus, Auri-  
fodina, Ætna nivibus conspersa, Sco-  
pulus, limus Promethei deterior, fun-  
dus exhaustus, Terra scruposa, Lutum,  
pulvis, Eremitus, Sylva, Valli præcipi-  
tia; (2) *Aquæ*; Mare pigrum, Mor-  
tuum, Palus, Mephitis, Avernus, Cama-  
rina, Mare procellosum, glaciale, Vo-  
rago, Scylla, Charybdis, Colluvies, Stil-  
licidium; (3) *Æreæ*; Turbo, Procella,  
Bo-

Boreas, Vapor, Fumus, Cæcias, Nubes  
 cogens; (4) *Ignæ*; Ignis græcus, Fa-  
 villa, scintilla sub cinere, Cinis, Tæda  
 deflagrans, Lucerna consumta, Titio,  
 Fuligo, Fomes non fomes. *Meteora*:  
 Ignis fatuus, nubes, nebula, pruina, nix.  
*Res humana*: Æthiops, Cadaver, Cen-  
 taurus, Semivir, Sceleton. Spectant huc  
 omnes partes humani corporis, & si quæ  
 responderint vitia & morbi. *Res ani-  
 males*: Bubalus, Vacca, Capra, Equus,  
 qui ilia ducit, strigosus, Rhinoceros,  
 Camelus, Mula, Asina, Amica, Iutosus,  
 Scrophæ, Leæna, Tygris, Ursa, Lupa,  
 Echinus, Salamandra, Glis, talpa, Cu-  
 culus, Bufo, ulula, pica, Stryx, Noctua,  
 Gryps, Harpyia, Crocodilus, Testudo,  
 Rana, Blatta, Tinea, Eruca sanguifuga,  
 Vipera, Aspis, Canis & anguis, Basilis-  
 cus, Cœcilia, Draco, Vespa, Scarabæus,  
 Cicada, Vespertilio, Lumbricus. Spe-  
 ctant & huc partes animalium, Exuvix,  
 Proboscis, Struma, Excrementum, ossa,  
 Corium, Membrana. *Res vegetabiles*:  
 lignum aridum, cariosum, Sudes præu-  
 sta,

sta, Spina, Alga, Beta, (fatua fabrorum  
 prandia) Carduus, (asinorum cibus)  
 Cicuta, Crambe ter quater cocta,  
 Salix, Sterilis avena, Lolium, Napel-  
 lus, Urtica, Vepres, Sentis, Caudex,  
 Truncus, Stolon, Stipula, Vappa, Fex,  
 Spongia, Scirpus, Nux casta, Fungus,  
 Cucurbita, Pix, Opium, Assa foetida.  
*Res Metallicae s. Minerale:* Lapis in quem  
 offendimus, Lapis Sepulchralis, Pyri-  
 tes, Rubigo, Erugo, plumbago, Scoria.  
*Res Culinare:* Caro Muriatica, Salsamen-  
 ta. *Varia instrumenta:* Codex vetustus,  
 Palimpsestus, charta bibula, longa lite-  
 ra, adversaria, Liber liturarius, album  
 corruptum, Pandectæ, Chronicon, Ca-  
 lendarium, Vestis lacerata, Cento, Man-  
 tica, Loculus, Matula, Urna, Situla, Olla  
 fracta, Lanx Saturata, Feretrum, Focus  
 algens, Cribrum, Domus Semirutata, Sera  
 fracta, tectum pluvium, Paries caducus,  
 Lampas oleo destituta, fulcrum fragile,  
 Currus sine rotis, Serperastrum, Mor-  
 tarium sine pistillo, Focus sine igne, ar-  
 cus sine nervo, Thermoscopium vivum,

G

Sca-

Scapha fatiscens, Suppedaneum, Clitel-  
 læ, Crux, patibulum, Furca, vincula, tor-  
 mentum, eqvuleus, Phalaridis taurus.  
 Res fabulosæ referri hûc possunt, quas  
 suprâ sub titulô rerum spiritualium  
 consignavimus, & alia, quæ in Mytho-  
 logicis occurrunt, ut: Serpens Epidau-  
 rius (Ægyptius) temporis Hieroglyphi-  
 cum, de cujus revolutione intra Spelun-  
 cam Claudianus. Magnus utique hîc  
 est rerum numerus, quæ è solô prædica-  
 mentô substantiæ congestæ sunt, è qui-  
 bus nasci possunt variæ Metaphoræ at-  
 que Propositiones Metaphoricæ, si cœte-  
 ra juncta fuerint. Et hic quidem est in-  
 dex tantum rerum deformium, cui si  
 quis alios junxerit cœterarum Catego-  
 riarum, longè major nascetur copia.  
 Subjungatur jam *Catalogus rerum juve-  
 nilium & pulchrarum*, qui huic ex adver-  
 so respondet. Itaque sub eâdem Cate-  
 goriâ Substantiæ secundum eandem se-  
 riem collocares pulchras & juveniles,  
 quæ facili etiam negotio è Contrariorum  
 consideratione consignari possunt. Per-  
 tinent

tinent itaque *ad res Spirituales*: Angeli,  
 genii, animæ, Apollo capillatus, Musæ  
 virgines, Hebe, Venus, Minerva, Mer-  
 curius. *Ad res cælestes*: Gemini, Gany-  
 medes, Phosphorus, Zona torrida, Sol  
 oriens, aurora. *Ad res elementares*:  
 Lux, Ignis, lata seges, Ros, prata viven-  
 tia, Scaturigo, aqua virgo, Rivuli salien-  
 tes, fomes, Favonius, Zephyri, Etesia,  
 Novalia. *Ad Res humanas*: Fœmina,  
 Virgo, nepos, Ephebus, puer prætextat-  
 us, viduus, Spiritus, nervus, lanugo.  
*Res animales*: vitulus catulus, pullus,  
 passer, columbus, hinnulus, juvenus,  
 capreolus, agnus, sciurus, cuniculus,  
 illices, regulus, graculus, pavo, vultur,  
 ovum. *Res vegetabiles*: surculus, flos, Ro-  
 sa, Laurus, Liliū, juncus, Balsamum,  
 fructus, Seges, Succus, Messis in herba,  
 primitiæ. *Res minerales*: Gemma, Ada-  
 mas, Magnes, Smaragdus, unio. *Ad res*  
*culinæres*: Esca, illecebræ, Cupediæ, Me-  
 dulla, Nectar, Ambrosia, favus mel, mul-  
 sum, promulsis. *Varia instrumenta*: Phale-  
 rz, Corona, Purpura, Focus, Operculum,

Penus, Malleus, Fornax, cestus veneris  
Cornu copiae. *Ad Res fabulosas*: Adonis,  
Narcissus, Selapufius &c. Hæc fe-  
rè sunt, quæ ex indice substantiarum  
pro usu nostro excerpti possunt. Sub-  
jungendus jam est alter index è reliquis  
Categoriis. Duo hæc subjecta sibi op-  
ponantur:

ANUS.

JUVENIS.

*Substantia.*

Referantur huc ex prioribus Indi-  
cibus omnia.

*Categoria quantitatis & figura.*

|  |                     |
|--|---------------------|
| Terræ pondus   | Plenus              |
| Monströsa  | Succiplenus         |
| Incurva  | Pinguis             |
| Macilenta  | Teres atq; rotundus |
| Non unius assis æsti-<br>manda   | Lacertofus          |
| Superficies mera   | Pretio emtus        |
| Numerus, Appendix,<br>Sarcina nummata,<br>(Possunt hic omnes<br>partes corporis de-<br>scribi, ut fecimus nos<br>in <i>Lusu Poëtico, Epi-<br/>grammate 35.</i> ) |                     |

E. C. 17



*E Categoria Qualitatis.*

1. *Qualitatum Visibilibus.*

|                          |                                 |
|--------------------------|---------------------------------|
| Atra, Flava, Caliginosa, | Candidus, Purpureus,            |
| Auro suo concolor,       | Bellus, oculis scintillantibus, |
| Deformis, Livida,        | Serenò vultu.                   |
| Distorta, Decolor.       |                                 |

2. *Qualitatum odorabilium.*

|                             |                    |
|-----------------------------|--------------------|
| Grave olens,                | Odoratus           |
| Funerei odoris,             | Fragrans balsamis, |
| Fœtida, Putrida, Squallida. |                    |

3. *Qualitatum auscultabilium.*

|                     |               |
|---------------------|---------------|
| Stridula, Strepera, | Canorus,      |
| Querula, fremens.   | Elandiloquus. |

4. *Qualitatum gustabilium.*

|         |                    |
|---------|--------------------|
| Amara,  | Dulcis, Nectareus, |
| Acerba. | Suavis.            |

5. *Qualitatum Tactibilium.*

|                       |                |
|-----------------------|----------------|
| Aspera, Dura, Rigida, | Palpabilis,    |
| Scabra, frigida.      | Mollis, tener. |

6. *Qualitatum Naturalium.*

|                        |                   |
|------------------------|-------------------|
| Enervata, Caduca,      | Vivax, Vegetus,   |
| Exfanguis, Seminortua, | Fortis, formosus, |
| Cadaverosa, Edentula,  | Elegans, rutilus, |
|                        | G 3 (illis)       |

(illis addi possunt va- Flavus.  
ria morborum nomi-  
na, quæ prædicari de  
illa per Metaphoram  
possunt, lues, pestis,  
febris, veternus, verti-  
go, morbus caducus,  
podagra, iliaca passio,  
tuber, vomica, ulcus,  
Gangræna, pus, sca-  
bies, lepra.)

7. *Qualitatum Intellectualium.*

Infamis, ingloria, Prudens, admirabilis,  
Morosa, abominabilis, inæstimabilis.

8. *Qualitatum affectuosarum.*

Formidabilis, Terribi-  
lis,  
Tristis, funesta, lugu- Optimus, jucundus  
bris,  
mera bilis. Genialis, desiderabi-  
lis.

9. *Qualitatum Moralium.*

Impia, barbara, scele- Civilis, humanus  
rata, rixosa,  
Insana, rebellis, vene- Docilis &c.  
fica.

*E Categoriâ Relationis.*

Terræ filia, Ex ovo natus,  
Sterquilinio effossa, Signifer juventæ,  
Le.

Lemurum mater,  
Ditis Soror,  
Solitaria, conjux  
Sine conjugio,  
Avia, Partes habens  
distortas.

Nepos,  
Viduus,  
Ceelebs,

*E Categoria Actionis & Passionis.*

Telo Cupidinis plum-  
beo stringitur,  
Accenditur igne fa-  
tuo.

Floret, vivit, expirat,  
marcet, emulgetur, o-  
tia amat, prodigus  
est, degenerat, iniqui-  
natur, tolerat, labores,  
animum despondet, a-  
cta agit, laterem la-  
vat, littus arat, gynai-  
cocratumenos.

Fraeta latera habet.  
Destruit torum,  
Occidit virum,  
Superstitiosa est,  
Singultit, tussit, screat,  
vomit,

Ægrotat, oscitat, po-  
tat, febricitat,

Nummos numerat,  
Metuit omnia,

Torvum videt, ringi-  
tur, rixatur,

Suspirat, verberat &  
vapulat,

Crucem figit Marito  
Enervat, torret, mace-  
rat.

*E Categoria Situs & Loci.*

Domum ducitur,

Thalamo jacet,

G 4

Tha-



|   |  |
|---|--|
| Thalamo componi-<br>tur,                      | In popinis habitat,                    |
| Ad arcas fedet,                               | Forum frequentat,                      |
| Ad focum ministrat,                           | Domum obambulat,<br>nec secum habitat. |
| Jacet vel sita est,<br>Sella patroclis fedet. |  |

*E Categoriâ Motus.*

|   |   |
|---|---|
| Repit, ut cochlea, do-<br>mum suâ affixa, clau-<br>dicat, lentat, tardat,<br>passus facit lentos,<br>quemadmodum ani-<br>mal quod <i>pigritia</i> di-<br>citur. | Vagatur extra do-<br>mos,<br>Alienas sectatur libi-<br>dines,<br>Equitat, saltat, pu-<br>gnat, in præceps ra-<br>pitur. |
|---|---|

*E Categoriâ Temporis.*

|   |  |
|---|--|
| Immortalis est, Secu-<br>la vivit,        | Perpetua celebrat hy-<br>berna,          |
| Perpetuas noctes ha-<br>bet,              | Inquirit in dies & an-<br>nos uxoris,    |
| Vivit in diem,                            | Momenta dies viden-<br>tur, dies secula, |
| Vivos annales præ-<br>stat,               | Omnes dies perdit &<br>noctes.           |
| Repuerascit, novam<br>vitam auspiciatura, | Noctes nefastas ha-<br>bet,              |
| Semper annum expe-<br>ctat,               | Nullos Veneris dies<br>habet,            |

Ad

Ad Calendas Græcas Perpetuos habet De-  
 moritura, cembres.  
 Tota illi dormitur  
 hyems.

*ECategoria Habitūs.*

Veste alterius Seculi Capillatus, Crista-  
 ornata, tus,  
 Tres capillos, tres Gladius, Holoferi-  
 dentes habet. cis vestibus indutus.  
 Lippa, Decorticata,  
 ipsum calvitium.

Hi sunt indices Categorici, quos è ge-  
 minis objectis exstruxim⁹. Addi his pot-  
 est tertius, *Matrimonii*. Considerari etiam  
 illud per Categorias potest. *Ad Cate-*  
*goriam Substantiæ* pertinent dii, matri-  
 monii præsidēs, & amorum, Venus, Hy-  
 men, Cupido, Amores, risus, joci, le-  
 pores, Juno. *Ad Categoriā Qualitatis*  
 pertinent, quod sit locuples, suave, ju-  
 cundū, invidum, insidiosum. *Ad Actio-*  
*nes & Passiones*: osculari, concumbere,  
 generare, joculari, domum ducere. Pertin-  
 ent & huc Ceremoniæ circa nuptias in-  
 stitui solitæ, ambire, procari, sponsalia,  
 arrhæ, jungi ante aras, consecratio, con-

viviorum celebratio, choreæ. Possunt & huc referri Ceremoniæ apud veteres Romanos usitatæ, levatio flammei, Zonæ solutio, fescenninorum cantus, florum sparsio, epithalamia &c. item quæ apud Poëtas habentur Ceremoniæ ludicræ Cupidinum & amorum; quæ singula novas suppeditare argutias possunt. Ad *Categoriam Loci*: templum, ara, thalamus, domus; & quoniam in thalamum joci multi parari possunt, ideoque sub *Categoriâ Loci* investigari multæ Locorum species possunt per jocum thalamo huic eleganter applicandæ, ut: orcus, purgatorium, fossa, lapidicina, sepulchrum, bustum, pratum, senticetum, cloaca, nosocomium, ossarium, cœmeterium, ergastulum, pistrinum, sentina, sterquilinum, hara, vorago. Ad *instrumenta* pertinent Cupidinis tela, armillæ, omniaque quæ ad habitum & mundum muliebrem spectant; quæ omnia comparari cum contrariis possunt: undè magna acuminum vis proveniet, e. g. Si cum illis conferas, quæ de morte  
in

in superiori exemplô ex Indice Categori-  
goricô congesta sunt. Quandoquidem  
etiam uxorem ducere aut matrimonio  
jungi ad Categoriâ Relationis perti-  
net, ideò etiam ex illâ congerere potest  
terminos relativos, omnesque illos, qui  
juncturam & consociationem expri-  
munt. Sunt & perquàm multa Adagia  
apud Erasmum & Berlucium sub tit.  
*Absurdorum Societatis*; quæ referri hùc  
commodè possunt. Ex his indicibus  
Categoricis quid non exsculpi acumi-  
num potest? nam certè copiam hùc labora-  
mus, quàm penuriâ. Tentabimus ta-  
men nos, quæ arguta hinc possimus edu-  
cere vel effata vel enthymemata: ita ta-  
men ne promiscuè congeramus omnia,  
sed ex vastô eorum numerô, quæ optima  
sunt, seligamus.

Novæ in Venere Metamorphoses!  
Lemures & umbræ nubunt viventibus.  
A rivalibus sibi metuens Ponticus mor-  
molyceion toro invenit, quod suspen-  
dere solemus avib9 segetes populaturis.  
Dignissima Vulcano vel incubovel E-

phialte hæc Ven9, Satyris digna sponſis.  
 Hecates cœna eſt, quæ hodie celebran-  
 tur nuptiæ. Ipſæ præ illâ furia pulchræ  
 ſunt. Ut longævitatem pacifceretur,  
 Parcam ſibi junxit in connubium Ponti-  
 cus, Venus ipſa Libitina eſt, proſer-  
 pit in thorum vel thalamum hæc Proſer-  
 pina ex ſucca vetuſtatis idea, Jovi lapi-  
 di Juno aurea jungitur, ut vidit hoc  
 Meduſæ caput, ut periit! in lapidem ab  
 illius conſpectû verſus. Vulcanus eos  
 auro compegit, non Venus. Novum  
 ſidus thalamo Pontici illuxit, ſed dirus  
 ille Cometa eſt, Zona torrida hîc miſce-  
 tur cum frigidâ, bruma cum Vere. No-  
 vum connubii genus! Cadaveri maritus  
 jungitur. Novum in Conjugio ſuppli-  
 cii genus! Cadaveri viva corpora jun-  
 guantur. Sterquilinio effoſſa, non ma-  
 ri nata eſt Venus huic pari pronuba.  
 Novum Tityi ſupplicium patitur Ponti-  
 cus, vultur viſcera ejus ſemper renaf-  
 centia populatur. Quæ infania hæc eſt,  
 virum in am̃i prodere? Ipſo conjugio  
 cœlebs vel viduus eſt Ponticus; impari  
 con-



conjugio fociatur pullus & equus, qui  
 ilia ducit. Thalamo suo exful & capi-  
 te deminutus Morboniam relegatur ma-  
 ritus, uxor verò Morbonia est; eheu,  
 quàm macro tibi taurus pinguis in arvo,  
 vetula! Vir erat antequam duceret a-  
 num, nunc semivir; virilitatis enim vo-  
 rago anus est. Morti vicina anus flam-  
 mis amoris pascitur, ut igne Salaman-  
 dra. Magnum scelus! nepos aviam  
 ducit; ante aras scropha! ad Horas abe-  
 at. Novam sibi supellectilem compa-  
 raturus Ponticus matulam emit. Men-  
 forem exercet Ponticus, sed non Stere-  
 ometram: cùm enim corpus sperabat,  
 superficiem meram invenit. Præsagi-  
 re tempestates discet Ponticus: semper  
 illi domi sunt procellæ & fulmina. Vi-  
 vum alit domi thermoscopium. Pœni-  
 tentiam agit Ponticus; religiosus erit;  
 cum Accam complectitur Cilicio indu-  
 itur vel echini pelle.

❁ (158) ❁

SECTIO III.

DE

VARIIS ARGUTIARUM  
OBJECTIS.

Ac primùm de oratione solutâ.

C A P. I.

De

EPISTOLA ARGUTA.

**Q**Voniam ratione objecti & characterismi dicendi arguta dictionis aliudque temperamentum habet, breviter nobis demonstrandum est, in quò diversitatis illa ratio consistat. Ideoque tenendum est, in omni dictionis genere argutam dictionem dominari posse, sed alio alioque modo. Vulgò triplex statuimus dicendi genus, *Humile*, *Mediocre*, & *Sublime*; è quibus humile Epistolis & Dialogis solemus assignare; *Mediocre* stylo historico aut orationibus consultatoriis vel Dissertationibus moralibus; *sublime* orationibus panegyricis.

cis. Eôdem modô Carminis Heroicî  
 genera solent dispescere; Nam Bucolico  
 generi tribuunt simplicem & humilem  
 dictionem, quia dialogus est; poëmati  
 didactico, quale est Georgicon Virgiliî,  
 mediocre genus adscribunt; poëmati  
 Epico, quod Heroum Actiones & facta  
 describit, sublime dicendi genus tribu-  
 unt. Sed illa omnia non satis accura-  
 tē se habent, ac mensura dictionis poti-  
 us à re ipsâ, quàm à genere dictionis su-  
 menda est. Est enim interdum, cum in  
 Epistolâ, vel Eclogâ, aut Dialogô grave  
 vel floridum genus sectandum, si res ita  
 efflagitet. Epistola certè quin arguta sit  
 ac esse possit, etiam cum ad familiares  
 scribimus, nihil vetat. Ejus generis per-  
 multæ occurrunt in Ciceronianis ad At-  
 ticum: eæ enim verè familiares sunt. Si  
 enim de materiis gravibus inter familia-  
 res agatur, cur non miscere possim⁹ gra-  
 ves sententias, quæ cum acumine efferri  
 possunt, eoque animam legentis percel-  
 lunt, quàm si humi serpent rationes, ac  
 nudæ proferantur? Si urbanæ sunt Epi-  
 stolæ,

M  
  
  
  
  
 ra-  
 ud  
 re-  
 uô  
 que  
 ne-  
 fle,  
 lex  
 Me-  
 E-  
 re;  
 bus  
 no-  
 yri-  
 cis.



stolæ, earum proprium est joculari, quod absque præceptis argutarum effici non potest. Atque hæc vera est & nativa illa urbanitas, quæ ut extemporaneò in sermone plerumque nascitur, ac causam dedit primò argutæ dictioni ejusque origini indagandæ: ita & in Epistolâ, quæ familiaris colloquii vicem obtinet, præcipuum habere locum videtur, fuitque eò nomine præter cæteros Cicero noster celebris, cujus tot extant sales & facetiæ in Epistolis. E recentioribus *Lipsius* hanc virtutem affectasse videtur, cui suæ non desunt vices, sed affectatione nonnunquam corrumpuntur: nam præter necessitatem & decorum abruptus & præceps est, exclamat, interrogat, tumultuatur etiam in re leviore, similibus indulget supra modum, sententias præter rem & necessitatem immiscet, nonnunquam in levi aliquâ nominis similitudine, alliteratione, vel paronomasiâ vim omnem acuminis ponit, cum tamen primum illud non præcisè requiratur ad argutum sermonem: nam vel

in diffusiore dictione arguti esse possumus. Secundum declamatorium est in Epistola, quod planè est indecens, & ab argumentò Epistolæ alienum. Tertium puerile est, si frequentius captetur: non enim solidi sensus, sed quædam superficies ac umbræ conceptuum in his crepundiis latent. Quod festiuitatem & urbanitatem attinet, è recentiorib9 primas tribuerem *Caspari Barleo*, cuius pleraeq; Epistolæ argumenti familiaris ac summâ urbanitate conscriptæ. e. g. extat in Epistolis Barlæi 313. mirè urbana, quæ tota ex hypotyposi deducta est; sic Epistola 225. tota jocatur de nihilò, cùm nihil haberet, quod scriberet; Epistola 226. de aliquò scribit & jocatur; Epistola 224. scribit de Neutro; Epistola 272. de lepore & perdicibus sibi missis jocatur, quâ se cum lepore & perdicibus comparat. Epistolæ 306. de iisdem perdicibus jocatur. Epistola 253. rerum suarum statum jocosè & urbanè describit.

CAP.

DIALOGO ARGUTO.

**S**implicioris dictionis speciem habet etiam Dialogus, ut primus illa esse videatur: primum enim omnium Dialogos formamus, cum sermocinatio omnibus familiaris sit; licet tamen etiam in illis argutiis indulgere familiaribus, ut in ipsis sermonibus dictoria spargere amant familiares. Sunt vero iidem fontes, quos supra descripsimus: temperamentum autem secundum rei indolem subactum in his iudicium dabit. Exemplum talis confabulationis argutæ in conviviis ostendit *Masenius familiarium argutiarum l. 3. c. 1.* Solent quoque ad Satyram transferri colloquia arguta, cuius exempla habemus in *Horatio & Persio*, apud quos aliquoties inducuntur personæ colloquentes ac argutis dictoriis inter se certantes; quam orationis formam ideò amplecti maluerunt Satyrarum scriptores, quod major argutiarum locus

cus

cus sit in sermonis reciprocatione: qui non esset, si continuâ oratione exprimerentur omnia; Ipsa enim fermocinationis forma figuras aliquas subministrat inter fermocinandum familiares, vel sententias aliquas de transversô inspergit commodiùs, quod fieri non potest in continuâ oratione. Solent & in Epigrammatibus sub forma Dialogi acumina nonnunquam inspergi, sed rariora tamen ejus exempla habemus apud Epigrammaticos scriptores. Aliquot ejus exempla occurrunt apud *Carolus à Sancto Antonio*, lib. de arte Epigrammatica; sed in illis parum artis est: Epitaphia enim, quæ illic affert in exemplum, præter meram Dialogismi formam parum habent acuminis.

C A P. III.

De

A P O P H T H E G M A T I -  
B U S.

**A**D Dialogos quodammodò etiam pertinent Apophthegmata, quatenus

nus illa colloquio interferuntur, aut ad  
 interrogationem reponuntur: Sed la-  
 tior tamen eorum etiam est significatio:  
 non enim semper ad verba reponitur,  
 sed & ad facta: non verbis solis interdum  
 comprehenditur, sed & verbis factisque  
 simul. Quocunque tamen modo insti-  
 tuitur, pro fundamento habet princi-  
 pia argutæ dictionis, quæ superius de-  
 dimus; quando verò in factis simul con-  
 sistit, aliquid etiam ex emblematum arte  
 trahit. Semper verò dependet ex cir-  
 cumstantiis & occasionibus rerum, ut  
 habemus exempla eorum tam apud ve-  
 teres, quàm recentiores notata. E ve-  
 teribus autoribus collegit Apophtheg-  
 mata *Erasmus Roterodamus*, sed sub titu-  
 lis & secundum autorum, qui ea recen-  
 suerunt, seriem: labor sanè utilissimus  
 est, & quem ob invidiam Pontificii ad-  
 scribere amant *Paulo Manutio*, Liberi-  
 oribus Erasmi jocos contra Monachos in-  
 citati. Postea *Lucius Domitius Brusonig* fa-  
 cetiarum exemplorumq; Locos comu-  
 nes sub titulis rerum digessit, qui liber  
 edi-

ed  
 eju  
 Ap  
 eò  
 Ap  
 ex  
 ri  
 nes  
 lis  
 leg  
 co  
 Ap  
 fur  
 po  
 mi  
 ta  
 Zin  
 Eff  
 ner  
 pop  
 tur  
 cur  
 cop  
 teg  
 iis



editus est à *Conrado Lycosthene* unà cum  
 ejusdem præfatione, in quâ de ratione  
 Apophthegmatum differitur. Sed sunt  
 eò in librò multa congesta, quæ non ad  
 Apophthegmata tantù pertinent, sed &  
 exempla & simplices historiæ, quæ alte-  
 rius sunt loci. Sic *Conradus Lycosthe-*  
*nes* ipse sub locorum communium titu-  
 lis ex utriusque lingvæ scriptoribus col-  
 legit, qui eam ob causam usui est ac-  
 commodatior. Sunt & in aliis gentibus  
 Apophthegmatum scriptores. Edita  
 sunt & singularium sæpe hominum A-  
 pophthegmata: Quemadmodum *Panor-*  
*mitanus* Alphonfi Regis Apophthegma-  
 ta unò librò congregavit. E Germanis  
*Zinckgrævius* librum eorum conscripsit.  
 Effet sanè operæ pretium non contem-  
 nendum, si quæ sparsim habentur A-  
 pophthegmata, unò volumine colligan-  
 tur. Artem eorum concinnandorum se-  
 cundum sua principia nemo plenius  
 copiosiusque tradit, quàm *Masenius* in-  
 tegrò librò, quem *de familiaribus argu-*  
*is* scripsit, qui longè est locupletior pri-  
 ori

ori editione annô 1661. editâ. Nam præter præcepta Apophthegmatum accessit præliminaris tractatio de familiaribus argutiis rectè instituendis, in quâ τὸ ἠθικῶν facetiarum & urbanitatis confiderat, quibus in rebus, quô tempore, quô locô, quâ moderatione joculari, & argumenta ac Apophthegmata fundere conveniat. Vindicat quoque priorem suam Editionem à plagiô, quod in eam comiserat *Harsdörfferus*, qui sub *Quirini Pegei*, nomine linguâ Germanicâ artem Apophthegmaticam in lucem dederat: sed ordinem Masenii invertit, & plures fontes, quàm ille, constituit; sed quas ille venas fontibus suis subjunxerat, hic pro fontibus ipsis tradit. Decem tamen imò plures constituere potuisset, si ex singulis fontium venis novos voluisset fontes conficere. Quare nec omnia proposuit, quæ proposuerat Masenius, sed in ipsis principiis mutilum & mancum opus reliquit. Hoc tantum discrimen est, quod ille nova quædam Apophthegmatica exempla pro-

præ-  
cessit  
ibus  
i  
ide-  
quô  
rgu-  
con-  
su-  
eam  
uiri-  
ar-  
de-  
, &  
sed  
xe-  
De-  
po-  
no-  
uare  
erat  
uti-  
Hoc  
nova  
mpla  
pro-

proposuit præter Maseniana, & sub suis  
titulis collegit, quæ postea ipse *Masenius*  
repetitæ operis sui Editioni iterum in-  
feruit. Fontes eosdem constituit Ma-  
senius Apophthegmatum, quos consti-  
tuerat acuminum Epigrammaticorum  
singulisque fontibus easdem venas sub-  
jecit. Exemplum unum per omnes ve-  
nas traduxit, petitum ex *Svetonio* de fa-  
cto Caligulæ, qui cum muliebri orna-  
tus habitu sublimis ingenti folio præsi-  
deret, hominem Gallum ad se accersitum  
rogat, quid de Imperatore sibi videre-  
tur? Respondit, magnam sibi ejus vide-  
ri amentiam. Quod responsum sim-  
plex est, & acuminis nihil habet: capax  
tamen est multorum acuminum, quæ in  
facto tam ridiculo incidere in aciem  
possunt, arte præviâ. Ex hac historiâ  
varias argutias extruxit Masenius, de  
quibus ipse potest legi.



CAP.

C A P. IV.

De

INSCRIPTIONIBUS.

**A**D species solutæ orationis argutæ  
 pertinet etiam Historia, quæ scri-  
 bi stylo arguto historico potest, tum et-  
 iam oratio vel generis deliberativi  
 vel demonstrativi, vel judicialis, &c.  
 Quod ad Historiam attinet, argutus in  
 eâ character est, qui periodos breves  
 habet sententiarum, qui se ex abditô o-  
 stendit, & nonnunquam implicat unô  
 vel altero verbo, easque ornat istis figu-  
 ris, quæ arguto stylo sunt convenien-  
 tiores; quâ in re habemus optimum  
 isto exemplo Magistrum *Corn. Tacitum*,  
 summa brevitate & arguto dicendi ge-  
 nere res magnas & gravissimas com-  
 prehendentem; ac proponi in exem-  
 plum unicè debet *Tacitus*, si argutum  
 stylum velis. Sunt quidem, qui hunc  
 scribendi modum aspernantur, & *Ta-  
 cito* vel *Livium* vel *Curtium* præferunt.  
 Illud facit *Famianus Strada l. i. Prolu-  
 sion.*

CAP.





ducuntur brevibus & argutis, ut sunt pleræque apud historicos. Arguto stylo accenseri possunt Orationes judicialis generis, quæ diffuso caractere à Cicerone proponuntur, nisi ubi contentio brevis, & concisum dicendi genus postulat. Imperatorum tamen, tempore etiam in hoc genere regnabat argutus character. Unde quæ apud *Senecam* & *Quintilianum* occurrunt controversiæ, plenæ sunt sententiis, & concisioris periodi quàm Ciceronis. Quam ob causam vel in *Ovidio* declamatorias quasdam argutias deprehendere sibi visus est *Franciscus Vavassor* lib. de *Epi-gramm.* quod nempe *Ovidius* genio seculi sui obsecutus liberalius iis indulserit; in quo tamen iudicio ei non subscribo, delicias *Ovidiani* ingenii ultra morositatem *Catullianam* æstumans. Oratio generis demonstrativi arguta imprimis sub Imperatoribus exculta fuit, ac potest ejus exemplum absolutissimum suppeditare *Plinii Panegyricus* in *Trajanum*. Ad genus Demonstrativum

tiv  
Inf  
nec  
qu  
bu  
nes  
scri  
tra  
tur  
phi  
tur  
nen  
Fab  
rum  
ris  
gut  
dar  
Ora  
cep  
ora  
sty  
jus  
hab  
bar  
cisa

tivum pertinent Inscriptiones & Elogia.  
 Inscriptiones primò necessitas invenit,  
 nec ornatus in illis fuit spectatus, unde  
 quæ sub primis Linguae Latinæ natali-  
 bus, & post, quæ leguntur inscriptio-  
 nes parum habent acuminis. De In-  
 scriptionum origine & forma multa  
 tradita à *Gruterò in lib. Inscriptionum,*  
 tum ab *Oclaviò Boldoniò in arte Epigra-  
 phicâ*, qui tamen nimiâ prolixitate uti-  
 tur, ac multa refert ad rem non perti-  
 nentia. Legi quoque potest *Johannes  
 Faber in Disput. de Inscriptionibus ear-  
 umque variis modis.* Successu tempo-  
 ris admixtæ fuerunt quædam figuræ, ar-  
 gutiores sententiæ & elogia, novâ qua-  
 dam styli formâ, quæ media esset inter  
 Oratoriam & Poëticam, unde & in con-  
 ceptibus major erat argutia, quàm in  
 oratione, minor quàm in Poësi, inque  
 stylo minus *μέτερον* quàm in Poësi, ma-  
 jus quàm in oratione: & quamvis non  
 habeant justos versuum pedes, habe-  
 bant tamen certas mensuras adeò con-  
 cisas, ut intellectus lectoris sæpe re-  
 spiret

spiret & ad sensus respiciat, quàm in  
 continuatō orationis cursu, & verba  
 sensuum plena aures citius prætervo-  
 lant; in oculis legentium commemoran-  
 tur. e. g. apud *Ciceronem* inveniuntur  
 nonnunquam loca argutiarum plena,  
 ut nihil in illis, quàm styli forma desit,  
 nam verbis orbe & particulis Periodum  
 in membra dividendis relativis corre-  
 lativis implicat animum, ut non statim  
 incurrat in oculū, quæ facili negotio ad  
 stylum inscriptionib9 proprium reduci  
 possunt, si mutes Periodum, Epitheta  
 abscindas, membra particulis suis sol-  
 vas. Exemplum esto locus, qui occur-  
 rit apud *Ciceronem Philippic. XIV.* Con-  
 tinet hic Encomium militum Marci, qui  
 in bello civili contra M. Antonium vin-  
 cendo occubuerunt, atque à Senatu  
 Mausoleo honorati. Thema constat è  
 duobus subjectis: Legio Marcia cadit  
 vincendo & nobili monumento deco-  
 ratur. Incipit ergò his verbis: *ò for-  
 tunata mors, quæ natura debita &c.*  
*Clauditur verò illis: ita pro mortali*

con-



*conditione immortalitatem isti consecuti.*  
 Hæc oratio facilè in Inscriptionem mu-  
 tari potest, hõc modò:

*Fortunata. mors.*

*Natura. debita. Patrie. reddita.*

*Legio. verè. Martia.*

*A Patrie. Nūmine. Nomen. adeptā.*

*Ut. idem. Armorum. Deus.*

*Urbem. hanc. gentibus. Vos. Huic. Urbi.*  
*genuerit.*

*In. fuga. fœda. Mors.*

*In. Victoriā. gloriosa.*

*Mars. nunc. fortissimos. pignoratur.*

*Vos. Victi. Victores.*

*Sic. impios. occidistis. occisi.*

*Itaq; cum. impios. multant. inferi.*

*Vos. superas. inter. sedes. triumphatis.*

*Brevis. Vita. memoria. sempiterna.*

*Quæ. nisi. vita. longior. esset.*

*Quis. gloriam. queritet. per. mortes.*

*Actum. igitur. Vobiscum. olim. fortissimi.*

*nunc. sanctissimi.*

*Viri.*

*Quorum. Virtus.*

*Ne, vel, oblivione, vel, reticentiâ, insepul-  
ta, sit.*

*Immortali, sepulchro, senatus, cavit.  
Ingentes, exercitus, Punicis, Gallicis, Itali-  
cis, bellis.*

*Majorem, felicitatem, habuere, non, præ-  
mium.*

*Atque, utinam, majora, possemus, qui, ma-  
xima, accepimus.*

*Post, hostes, Antonium, fugientem, revertif-  
se, & redeuntem, repulisse.*

*Æterna, hæc, moles, æternitati, testabitur.  
Hæc, quamdiu, spectabunt, Oculi, lingue.  
Vos, loquentur.*

*Pro, mortalitate, immortalitatem, con-  
secuturos.*

Atque sic contracta est in elegans E-  
logium tota hæc orationis forma, quæ  
plenior quidem & fœculentior apud Ci-  
ceronem, nervosior verò in præsentî e-  
logiô, quod nihil prætermittit acumi-  
num. Sola verò illa accendit, quæ au-  
res implet. Apud *Tacitum*, qui inter  
Historiographos palmam argutæ dicti-  
onis fert, invenies nonnunquam aliqua  
respondentiæ formæ inscriptionum, ut  
ne

ne Syllaba quidem mutanda sit. Cùm enim per se scietur breve dicendi genus, atque acumina illi sub manu nascantur; brevis est in Periodis, si modò Periodi nominandæ sunt, quæ particulis expletivis & epithetis abstinent. Ejus illustre exemplum habemus, *Histor. lib. 1. c. 49.* cui loco nihil detrahi debet, ut justam inscriptionis formam habeat, modò per versus certos discriminetur, ut fieri solet in inscriptionibus, quò distinctius omnia in oculos & sensum incurrant. Ponamus itaque sub forma Inscriptionis.

*Hunc exitum habuit Sergius Galba,  
Tribus & septuaginta annis, quinque Prin-  
cipes prosperâ fortunâ emensus,  
Et alieno imperio felicior, quàm suo.  
Illi vetus nobilitas, magnæ opes, Medium in-  
genium,  
Magis extra vitia quàm cum virtutibus.  
Famæ nec incuriosus nec venditor.  
Pecunie alienæ non appetens, suæ parcus,  
publicæ avarus.  
Amicorum libertorumque,*

H 4

Ubi

*Ubi in bonos incidisset, sine reprehensione  
patiens:*

*Ubi in malos, usque ad culpam ignarus.  
Sed claritas natalium, & metus temporum  
obtentui,*

*Ut quæ erat segnitia sapientia vocaretur.  
Dum vigeat ætas, militari laude apud Ger-  
manos floruit.*

*Proconsul Africam moderatè:  
Jam senior, citeriorem Hispaniam pari ju-  
stitia continuit.*

*Major privatò visus, dum privatus fuit,  
Et omnium consensu*

*Capax Imperii, nisi imperasset.*

Quod si jam conferas hoc Elogium cum Ciceroniano illò, facilè differenti- am videbis styli oratorii & Epigraphici. Tullianum istud magis est inane, quia volvitur super unò themate: Cornelianum istud magis plenum est, quia unaquæque Periodus thema diversum format, quod novos atque illustres conceptus suppeditat. Tullianum habet materiam magis patheticam: Cornelianum magis Politicam, quæ efficit quidem

dem Inscriptionem minus teneram, sed magis gravem. Tullianum ex solâ oppositionis superficiali figurâ exstructum est: in Cornelianô illô oppositiones cum Laconismô junguntur. Alluditur enim ad Historias longinquas, ut singula ferè verba aliquô Commentariô indigeant. In Tullianô numerus melior est & rotundior; in Cornelianô durior & concisior. Unde quanquam phrasés Ciceronianæ elegantiores sunt pro oratione, ita Cornelianæ penetrantiores pro inscriptione. Atque hinc manifestè videri potest differentia styli Oratorii & Historici. Et *Aristoteles* orationibus stylû contentiosum historiæ exquisitum tribuit; quare qui volunt Inscriptiones condere, non magnoperè indulgebunt expolitioni phrasium, sed potius ad sensus ipsos reflectent, modò tamen ne barbari in voce ac Phrasi sint. Illis legendum potius aliquid suaserim ex Tacitô vel Senecâ, quam Cicerone, ad quorum imitationem Periodos componant, nisi quis jam tum eam promptu linem adeptus fuerit, ut styli utri-

usque artifex sit, quod fieri facile potest, si crebrò se exercuerit in transformandis ratione diversorum characterum Periodis. Ciceroniana tamen latinitas regulam præbeat: eam enim probè concòxisse oportet, antequam argutè scribere incipiamus; nisi enim id factum fuerit, facile vitium contrahet oratio, ut quis nec aptè stylo diffusiore, & ineptè stylo concisore scribat. Quantum fieri potest, respiciendum est in Inscriptionibus ad veteres illas formas, quanquam simpliciores, nec adeò argutas: miram enim venustatem habent & eruditionem auctoris statim ostendunt. Cui rei conducere possunt tum *Brissonii* opus de *formulis veterum*, tum veteres illæ inscriptiones, quarum thesaurum nobis dedit *Gruterus*, cuius opus locupletavit *Reinesius*. Quod ad characterem Inscriptionum attinet, probè distingvendæ sunt ætates. Plus nitore & gravitatis habebant, quæ Ciceronis tempore concipiebantur, plus acuminis recentiora. Quod si itaque temperamentum illud instituere

ere

ere Inscriptionum vales, ut nec fordus sis in sermone & barbarus, sed moderatè nitidus & argutus, omne punctum feres. Modum itaque tenebris tum in totâ Inscriptionis compositione, tum in partibus ejus & periodis, quæ vel *μονόκωλοι* vel *δικωλοι*, rarò trimembres vel quadrimembres sunt, nisi harmonica quædam concinnitas vel aliqua dictionis figura acuminis vicem suppleat. In brevioribus Periodis concinnitas verborum locum quoque habet, ac possunt longiores Periodi facilè per membra sua in minutiones concidi, modò absint particulae expletivæ, epitheta frequentiora, trajectiones sensuum, & constructionis figuræ, quæ obscurant. Quantitas totius Inscriptionis non facilè egrediatur limites alicujus marmoris, aut loci illius, cui inscribi verosimiliter possit; imitari enim totam naturam partium suarum debet. Quare qui integras Orationes inscriptionum more compositas per aliquot folia trahunt, non tam Inscriptiones, quàm novum aliquod di-

cendi genus sibi fingere videntur. Quod quidem non magnoperè damnaverim, sed rectius tamen arbitror facturos, qui sibi temperarint, & unius Orationis loco plures scribant Inscriptiones. Integras enim vitæ historias, ac multas rerum & annorum circumstantias hoc modo delineare, & in scribendo multum incommoditatis habet, ratione connexionis; (dissoluta enim sunt omnia) & prolixæ connexiones orationem vitiant: ægrè enim sistuntur animo tot diversa. Longè ineptiores sunt, qui integras Historias actuum publicorum, consultationum, pacificationum, tali orationis filò texere conati sunt: Nam nec Historiam rectè scribunt, nec argutis bene utuntur, quæ pleræque elumbes sunt & frigida, & magnò conatu quæsitæ, meritò irrisi à *Bæclero* in primo Musæi sui specimine, ubi de Inscriptionibus in utramque partem disputat. Itali recentiores nimium hic genio suo indulserunt, & pene novum dicendi genus commenti sunt, quod omni passim argu-





argumento adhiberent : ideoque Ora-  
 tiones integras hoc stylo composue-  
 runt, existimantes se tum bene scribere,  
 si eum in modum argute scriberent.  
 Quò morbo factum est, ut multi eorum  
 genuinam eloquentiæ formam corrup-  
 perent argutiis affectatis, frigidis, ine-  
 ptis, longè quæsitis. Movit ea res  
*Franciscum Vavassorem*, Jesuitam doctis-  
 simum, ut inter orationes suas aliquam  
 scriberet *pro veteri eloquentiâ contra no-  
 vam*. Scripsit & *Albertus ab Albertis*  
 librum integrum *contra corruptores elo-  
 quentiæ*. Inter Inscriptionum scripto-  
 res optimus sine dubio est *Emanuel The-  
 saurus*, ut quî artem argutiarum ipse  
 tradidit, & exemplis lectissimis illustra-  
 vit tum in *Genealogia Christi*, tum in a-  
 liis ejus scriptis; in quibus tamen non  
 semper sibi similis est: interdum enim  
 ex nimia affectatione frigidus: quâ in  
 re si temperaret sibi, perfectum argu-  
 tiarum exemplar dare posset. Trans-  
 tulit etiam is Inscriptiones ad res  
 promiscuas, ut non semper inscri-  
 ptio-

ptiones, sed diffusiora etiam Elogia hoc  
 dictionis genere scriberet. *Aloysius* quoq;  
*Juglaris* scripsit *Elogia Dei-Hominis*; quo  
 in libro super præcipuas Christi actio-  
 nes & vitæ circumstantias elogia scribit,  
 acumine quidem & ipsa concinnitate  
 dictionis *Emanueli Thesauro* cedens, non  
 paucis tamen meditationibus affluens,  
 quæ sacras orationes scripturis usui esse  
 possunt. De *Johannis Baptista Mas-*  
*sculi* elogiis idem penè dixerim. *Alber-*  
*tus ab Ines*, Polonus, Regum Polono-  
 rum vitas & res gestas talibus elogiis  
 descripsit, quæ satis quidem arguta  
 sunt, sed stylo diffusiore: longè tamen  
 meliora sunt illis, quæ *Frischmannus* de  
 rebus Imperii scripsit. *Albertus ab Ines*  
 non pauca acumina aliis sublegit, quo-  
 rum tamen nomina in frontispicio libri  
 posuit, quæ tamen ipsi argumento adeò  
 annexa sunt, ut ex re ipsa nata videan-  
 tur. Prodiit illud opus sub titulo: *Le-*  
*chiados*, Cracoviæ in quarto anno 1654.  
 & non ita pridem recusum est. Simile  
 opus penè est, quod quidam de Regibus

Un-

Ungariæ edidit, *Nadasci*; sed ingenium tamen illud minus est & iudicium, neque tanta Inscriptionum concinnitas: prodiit Norimbergæ cum Germanicâ etiam versione, sed non est in ista lingua illa concinnitas ad exprimendos argutos conceptus, quæ est in Latina ob polylogiam istius linguæ, quæ in articulis, particulis, verbis auxiliariis ac similibus consistit, ut & in Linguâ Gallicâ. Italica tamen aptior est, ac exstant non pauca ejus exempla in *Ostavii Boldonii* opere Epigraphicò, quibus sanè nihil acuminis & concinnitatis deest. Edidit & *Petrus Labbe*, è Societate Jesu *Elogia sacra, Philosophica, Regia &c.* ut titulus libri habet, Gratianopoli in fol. anno 1664. in quibus multa sunt arguta & ingeniosa, non pauca tamen affectata & frigida. *Franciscus Bona* in duodecimo Cæsaris Inscriptiones condidit argutas, venustas ac breves, in quibus quod desiderem, non habeo. *Laurentius Pignorius ac Ferrarius Patavii* ediderunt varias Inscriptiones

&

& elogia, quæ ipsi scripsere in varia argumenta. Uterque simplicitatem illam veterum imitatur, nec in acuminum affectatione adeò luxuriosus est. Non paucas etiam Inscriptiones funebres colligit *Laurentius le Brun in Eloquentia sua Poëtica*, ubi de Epitaphiis agit. Ac esset sanè optandum, ut quis Inscriptiones, quales sparsim in Viros illustres conscriptæ sunt, uno volumine colligere possumus, habitò tamen meliorum delectu, satis vastum quis ex illis opus conficeret. Fecit id quidem non ita pridem *Christian Weise*, singulari librò, additis quibusdam argutiæ præceptis: Sed plures ab illo poterant afferri, quas fortè ad manum non habuit. Elogiorum scriptores, qui viro- rum illustrium vitas in Epitomen contractas exhibent, huç non pertinent. Artem Inscriptionum peculiariter tradere non est necessum, cum omnia è generalibus argutiæ fontibus petantur: Nihil enim hic novi est præter concin-



cinnam totius orationis structuram, ac membrorum & Periodorū justam mensuram, quæ quidem non est ad leges certas adstricta, ut in carmine, neq; ejus libertatis, ut in solutâ oratione, sed medio quodam modo se habet. Enunciations, quantum fieri potest, brevissimæ sint, ac omnes prolixæ circumlocutiones abesse debent: una enunciatione arguta absolvi potest Periodus; possunt tamen etiam plures jungi, absque tamen orbe verborum: membris concinnitas insit ratione oppositionis: atque sic vel prolixior etiam Periodus inscriptionem non dedecebit, ut in exemplo illo Ciceronianô, quod suprâ dedimus. *Marsenius* in arte suâ argutiarum eosdem Epigrammatum argutorum fontes etiam Inscriptionibus accommodavit, subjiciendo singulis fontibus singula exempla, sed non necesse est, ad ejus exempla ex uno fonte Inscriptionis argutæ inventionem derivare; neque enim una argutia absolvitur tota inscriptione, quæ systema est multarum enunciations-

cia ionum argutarum aptè inter se co-  
hærentium de uno quodam argumen-  
to conceptarum. Cum verò unum  
objectum multis pateat, reflexionibus  
argutis jam ex hoc, jam ex illo fonte pe-  
titis, delectabit inventionum potius è  
variis fontibus varietas. Rectius *The-  
saurus*, qui è metaphoris argutias dedu-  
xit, non unâ aliqua, sed variis, prout co-  
gitationes illi suboriebantur. *Octavius  
Baldonius*, qui vastò volumine Epigra-  
phicam artem scripsit, nihil vel parum  
admodū habet ad argutas inscriptiones  
inveniendas; penè universa Rhetoricæ  
præcepta ad inscriptiones suas accomo-  
dat, atque exemplis prolixè comprobat;  
multa habet de figuris in Inscripti-  
onibus occurrentibus, nec tamen monstrat,  
quomodo figuris illis & quando u-  
tendum sit; nec differt ejus liber à cœ-  
teris libris Rhetoricis, nisi quod locò  
exemplorum inscriptiones subministrat.

De Periodis, numero & figuris In-  
scriptionum multa hîc dicere superse-  
demus, cum ex vulgari doctrina de Pe-  
rio-

riodò ejusque partibus & characterum  
differentiis satis pateat, quò discrimine  
mensuram Periodorum instituere de-  
beamus.

C A P. V.

DE

ARGUTIIS LIGATÆ  
ORATIONIS.

*Et quidem*

*De*

EPIGRAMMATIBUS.

**A**Rgutiarum inventio, ut sæpius di-  
xi, una eademque semper est: ra-  
tione verò materiæ & dictionis aliquam  
fortitur diversitatem; & quidem in Epi-  
grammate iidem sunt argutiarum fontes  
superiùs ostensi, modò observetur dicti-  
onis poëticæ genus, numerus, aliæque  
Epigrammatographis familiaria. Quare  
nil hic aliud attendendum est, quàm ut  
argutam inventionem metrò commodò,  
dictione perspicuâ, figuris etiam decen-  
tibus exornemus: absque enim illò si  
est, omnis acuminis gratia perit. Et,  
ubi

ubi solus dictionis nitor & figura aliqua commodè adhibita, plus veneris habet, quàm profundius deductum acumen, si cœtera Epigrammatis ornamenta absint, scilicet nitida dictio, rotunda conclusio, metrum conveniens: quibus *Catullus* diligentissimus horum observator effecit, ut præ Martiale à nonnullis æstimatus fuerit, quanquam *Martialis* hunc acumine multum superet. Artem Epigrammatum multi scripserunt. *Scaliger* & *Vossius* in institutionibus poëticis pro instituti ratione breviter de naturâ Epigrammatis scripsere, ut & *Franciscus Robortellus* sub finem Commentarii. Optimam hîc navavit operam *Jacobus Masenius*, qui diligentissimus est in exemplis tam veterum quàm recentiorum ad suos fontes reducendis. Edidit post illum *Carolus à S. Antonio*, *Nicolaus Mercerus*, & *Franciscus Vavassor* de Epigrammate libros, è quibus primus ille, de figuris in Epigrammate diligentius egit, quàm *Masenius*; secundus methodum *Scaligeri* sequitur, quæ mihi planè



nè *ἀμείβος* videtur; Tertius de Inventione argutiarum parum admodum attingit. Videri tamen potest caput ejus sextum & septimum, ubi de origine & generibus acuminum agit, monstratque quomodo ex affectatione acuminum corruptus primùm fuerit stylus Romanus. Scriptorum Epigrammatum non pauci sunt, de quibus tamen verum est vetus illud verbum: Multi laurigeri, pauci Phœbi, multi thyrsigeri, pauci Bacchi. Græcorum scriptorum Epigrammata, quæ interdum frigida & affectata, singularibus voluminibus sub titulô Anthologias collecta prodierunt, de quibus legi potest *Vavassor* c. 16. Apud Latinos Catullô vetustiores nullos habemus. E Græcâ Epigrammata in linguam Latinam verterunt *Heinsius*, *Grotius*, ac alii. In Germanicam quoque nonnulla ab *Opitiô* translata. *Catullo* & *Martiali* è veteribus præ cæteris honor præbetur, sed in quibus tamen, quod desiderent, multi habent. Nam aliqui in Catullô Martialem, aliqui in Martiale

ale Catullum requirunt. Illi major suavitas est & elegancia sermonis, & nescio quæ venustas: huic major frequentia est, & vis acuminum, ut ita utrumque amplecti satius sit, ac utriusque dotes imitando simul exprimere, quàm alterutri adhærere, ut faciunt *Victorius* & *Muretus*, quibus Catullus adeò placet, ut totus penè Martialis displiceat, quem vilem è triviò scurræ vocare *Muretus* veritus non est. *Ausonius* longò temporis intervallo posterior & verbis parum latinis, & parum latinè junctis pro genio istius seculi usus est. Etiam in numeris & dimensionibus vocum admodum Græcæ licentiæ liberior est. Parum bonæ frugis habent ejus Epigrammata, ut nunquam illum Epigrammata scripsisse optet *Scaliger*. *Martialis* acumen præ cæteris sectatus est, ac in paucis conatû suò excedit, nisi fortè rejicere velis & damnare, in quibus sola obscœnitas illi acuminis loco est; quæ Epigrammata ex illò expunxere Jesuitæ, non malâ quidem intentione, sed in fraudem tam

men

men bonæ latinitatis, quæ nusquam penè purior est, quàm in impuris istis nequitiis. Priapeja certè profligati pudoris Epigrammata, adeò nitida sunt, si dictionem spectes, ut nihil dici venustius possit; quare non veritus est *Josephus Scaliger* Commentariis suis lucem illis inferre; post illum verò *Caspar Scioppius* diligentissimus tam elegantis sterquilini collectior ea edidit, in quibus impudicum pectus an doctrina magis probari debeat, incertum est. E Recentioribus non paucos habemus Epigrammatum Scriptores, quorum omnium numerum inire & censuram, singularis penè voluminis res esset. Habemus in omni gente nonnullos, sed si selectura institueris, vix erunt numero totidem, quot Thebarum portæ vel divitis ostia Nili. Rarissimi enim sunt, qui Epigrammatis genium feliciter exprimunt. *Julius Cesar Scaliger*, delicatus veterum censor & acuminum adeò rigidus exactor, hebetes sæpe in Epigrammate figit aculeos. Rarò quoque apparent in

Poë.

Poëtis Italis & Gallis, qui unô volumine collecti exhibentur, boni Epigrammatis vestigia hinc inde sparsa, quales inter lilia nascuntur salutare herbæ. In vastâ Germanicorum Poëmatum farragine parum bonæ frugis est. Scoti, *Buchananus* præcipuè & *Jonstonus* non contemnenda sæpe Epigrammata habent. Inter Belgas plures sunt, ac Principes etiam in Epigrammate *Heinsius* & *Grotius* Poëta sine pari; *Boxhornius* etiam in Epigrammatibus argutis, cujus pauca velut è naufragio collecta sunt unà cum ejus exemplis. *Hugenius* mirifici acuminis Epigrammata scribit, sed occurrunt inter illa frigida nonnulla & affectata. *Barleo* acrimonia non deest, sed manum nescit tollere de tabula, cùm Epigrammata commendet brevitatis. Inter Jesuitas *Bidermanni*, *Baehusii*, *Capillavii* Epigrammata bona sunt; *Sarbievius* inter illos Princeps est, cujus Epigrammata argutissima sunt, & ex anthithesi pleraque petita, nisi fortè ostentatio aliqua artis à delicatioribus censoribus illi vitio

verti

verti possit. *Iustus Sautellus*, qui de Divis cœlitibus Epigrammata scripsit, & venustus in dictione & argutus est. *Vavassor* nitidus in Epigrammatibus est, quod dictionem attinet; in aculeis paulò hebetior videtur. *Oweni* Epigrammata in triviis cantata non pauca habent laudabilia, si argutiam spectes; nonnunquam tamen frigidus est, & vulgaria sectatur; dictio non satis nitida, sæpe ne latina quidem, neque concinnitas tanta est, quanta in veteribus *Catullo*, *Martiali* reperitur, aut in recentioribus illis *Heinsio*, *Grotio*; quare ridendi sunt, cumbello isto iudicio suo populares ejus, qui *Martialem Britannicum* ipsum vocant. In Epitaphiis joco-seriis, quæ collegit *Franciscus Svertius*, non pauca sunt boni commatis; nec contemnenda adeò sunt è Nostratibus *Taubmanni* & *Johannis Cœlii* Epigrammata. Non de sunt in vernaculis etiam linguis, Gallicâ, Belgicâ & Germanicâ, quæ festivitate, concinnitate & argutiâ probari selectorum iudicio possunt.

De Definitione & Divisione Epigram-  
 matis Scaliger atque alii multa præcipi-  
 unt. Dividit ille Epigramma in *simplex*  
 & *compositum*; quod non satis accura-  
 tē mihi factum videtur. Simplex enim  
 Epigramma ille vocat, quod nudè tan-  
 tum notat & significat rem: quales sunt  
 versus, qui statuis, imaginibus, tro-  
 phæis inscribuntur; quam ob causam  
*Scaliger* quoque definit Epigramma, ut  
 simplex simul comprehendat. Defi-  
 nit enim *lib. 3. c. 125. p. 390.* quod sit poë-  
 ma breve cum simplici cujusdam rei  
 vel personæ vel facti indicatione, aut  
 ex proposito aliquid deducens; cum  
 tamen illud ex Epigrammatum familiâ  
 eliminandum videatur, cujus anima  
 est acumen, vel figura aliqua concinna,  
 quæ ex proposito aliquò deducitur.  
 Nisi fortè simplicia illa vocare velis,  
 quæ rem demonstrant & describunt non  
 planè absque omni acumine, qualia  
 sunt, quæ Xenia & Apophoreta *Mar-*  
*tialis* inscribit *lib. 13. & 14.* quorsum re-  
 feras etiam *Grotii* variam supellectilem  
 Epi-

E  
 H  
 b  
 tr  
 ta  
 ri  
 na  
 in  
 p  
 da  
 po  
 gr  
 fe  
 qu  
 fit  
 se  
 pi  
 pl  
 va  
 mi  
 vi  
 pi  
 gra  
 tiu  
 scr

Epigrammatibus expressam, *Hugenii Hagam vocalem*, in qua omnes plateas urbis ejus describit Epigrammate; item *tricas* ejus *morales*, in quibus instrumenta Mechanica describit, l. 7. & 8. & variam supellectilem l. 9. Epigram. & Panegyrim Menippæam *Joachimi Kacselii*, in quibus omnibus nulla adeo est ex propositis deductio, sed descriptio quædam arguta. Retinere tamen & nos poterimus distinctionem illam Epigrammatis in simplex & compositum, sed nostro sensu. *Simplex* vocabimus, quod simplici constat argutiâ; *Compositum*, quod pluribus argumentis inter se perplicatis constat; Quod genus Epigrammatum frequentius est. Exempla talium Epigrammatum adducit *Vassor* l. 1. de Epigram. c. de genere acuminum, ex Martiali, ex Elegiis item Ovidii, in quibus conclusiones multæ Epigrammaticæ latent, sed unci Epigrammatis filo continentur. Huic tertium genus addere possumus, *Circumscriptum*, quod sive simplex sive com-

positum rem majore apparatu tradit, vel quod circumstantiæ facti alicujus ampliores sunt, vel quod partium enumeratione habeant opus, quæ aliqua multis versibus præmissa acuta & inexpectata consequatur conclusio. Cujus exempla multa apud Catullum & Martialem occurrunt.

Hæc est Epigrammatis distinctio à re ipsa & ab arte petita: quas enim Scaliger amplius suppeditat, mirè sunt pertricatæ & confusæ. Quid enim attinet Epigrammatum tot facere genera, quot rerum, imò quot versuum sunt? Quod enim res attinet, illæ sub certas classes generales redigi possunt, ut retulit ipse ad tria Causarum genera, quanquam Vavassor eò nomine illum reprehendat. Proponit iterum alias aliasque Epigrammatis divisiones, *languida*, *vegeta*, *acria*, *ea quæ mel habent*, *quæ fel*, *quæ acetum*, quæ distinctiones nescio quid poëtici habent, ac mirum, quod non addiderit, *piper*. Aliò capite aliam distinctionem Epigrammatum affert,



affert, in *Dialogicum*, *Dramaticum*, *dogmaticum* & *mixtum*: cum illa tamen novas Epigrammatum species constituere non possint: illa enim ab exteriori forma sive orationis figurâ dependent, quæ si absque acumine est, ad simplicia Epigrammata, quæ vel acumine simplici vel solâ figurâ absolvuntur, debent referri. Miror autem cur omiserit *Epigrammata Gnomica*, quæ si Scaligeri minutas divisiones sequi velimus, novum constituere Epigrammatis genus poterant, qualia sunt disticha *Catonis*, monosticha *ethica* & *politica*, *Oweni*, *Gruteri*, *Scaligeri*, *Boxhornii*, *Baudii* jam bi gnomici. Miror omisisse *Emblemata* & *enigmata*, quæ ad epigrammata quoque referri debebant; at est sanè eorum ratio magis inter se distincta, quàm earum specierum, quas proposuit Scaliger. Simplex Epigramma, ut dixi, est, quod constat vel simplici aliquo acumine, vel bellâ aliquâ figurâ, unâ aut pluribus. Argutia è figuris crebra est apud Catullum, ut in illo,

1 3

quod

quod in amicam Phormianam inscri-  
psit :

*Salve nec minimo Puella naso,  
Nec bello pede, nec nigris ocellis  
Nec longis digitis, nec ore sicco,  
Nec sanè nimis eleganti linguâ,  
Decoctoris amica Phormiani.*

*Ten' Provincia narrat esse bellam?  
Tecum Lesbia nostra comparatur?  
O Seclum inspiens & inficetum!*

In hoc Epigrammate præter elegantes  
figuras nihil est acuminis, sed illæ tan-  
tùm suaves sunt, ut mirè delectent le-  
gentem. Primum est salutatio : Salve  
nec minimo puella naso ; Secundò *λι-  
πέτης*, nec minimo naso &c. tertio inter-  
rogatio ; quartò enumeratio partium ;  
quintò exclamatio. Istæ figuræ autem  
omnes *χαρμεντισμὸν* quendam invol-  
vunt & urbanitatem, & in dictione, &  
in coagmentatione figurarum, deni-  
que & exclamatio illa è longinquo acu-  
men aliquod involvit. Ipsa quoque  
*λιπέτης* in re turpi, videtur aliquid de-  
ceptionis habere. Sensus totius Epi-  
gram-

grammatis ille est: *Amica Phormiani deformis est, nec potest cum Lesbiâ nostra comparari.* Jam vide, quam eleganter ornata sit hæc sententia tot figuris. Primum salutatur, quod grave orationis schema ridiculum in hac materia auget; *λιτότης* in re turpi itidem ridicula est; denique interrogatiunculæ quasi *μυκτηρισμὸν* sapiunt, & tandem conclusio epiphonematica, tanquam rem magnam propositura, abit in temporum perversos mores ac iniquum iudicium. Contraria ratione, quàm cum Cicero in *Catilinariâ* suâ suum illud *ô tempora! ô mores!* ingeminat. Atque hunc in modum penè omnia concepta sunt *Catulli Epigrammata*. Non pauca etiam apud *Martialem* invenies, cui interdum unica figura absolvit *Epigramma*, ut plurima ejus exempla notavit *Carolus à S. Antonio*. Non rarò invenies apud illum, quæ penè nullo constant acumine, ut illud *Epigr. 62. lib. 1.* *Epigrammata* ex subjectionibus, interrogationibus, reduplicationibus plurima invenies apud *Martialem*;

sed solet addere alia etiam acumina. Atque tum præprimis suave erit Epigramma, si figuræ acumini misceantur. Ita ex repetitione principii carminis in principio omnium versuum ; est apud Martialem *Epigr. 25. l. 5. in Hermetem.* Secundò ex repetitione principii Hexametri in principio Hexametrorum omnium *Epigr. 40. l. 1.* Tertio ex repetitione ejusdem principii in fine omnium pentametrorum *epigr. 99. l. 9. ad Julium.* Quarto ex repetitione ejusdem sed postea diversi finis hexametri in omnium hexametrorum fine , *Epigr. 9. l. 7. in Olum.* Quintò ex repetitione diversi finis hexametri in principio omnium hexametrorum. Tale est Epigramma apud *Ausonium* in vocibus monosyllabis, sed illud inveniustum est. Sextò ex repetitione principii pentametri in principio pentametrorum , ut *Epigr. 23. l. 9.* Septimò ex repetitione finis pentametri in fine pentametrorum, ut *lib. 2. Epigr. 18.* Octavò ex repetitione totius pentametri *Epigr. 91. l. 7. Si quid*

quid &c. Elegans talis Epigrammatis exemplum reperitur apud *Wallium*, quod constat bellis figuris & acumine; occurrit verò *Lyricorum lib. 1. od. 10.* Oden vocat, quæ rectius Epigramma vocari poterat. Scriptum est carmen ad *Sidronium Hofchium*, cum cultissimam in laudes suas ab illo accepisset Elegiam. Acumen Epigrammatis in hac sententia consistit: *Elegia tua in nullò peccat, nisi in laudibus meis elegantibus.* Hoc exornat figuris, ac metrum ipsi accommodat Phaleucum. Figuræ sunt (1) exclamatio, (2) distributio sive enumeratio, (3) repetitio, (4) interrogatio & subjectio, (5) parenthesis.

*O gratos mihi gratissq; plenos  
O cultos elegos & expolitos!  
Quos ad Pegasie caput scatebræ  
Dictarunt faciles tibi Camæna.  
Nusquam simplicitas decensq; cultus,  
Et nusquam, nitor eruditioq;  
Et nusquam Veneres salesq; desunt.  
O cultos Elegos & expolitos!  
O gratos mihi gratissq; plenos!*

*An spectem numeros? tenentur aures;  
 An cultum? capior; modosne? ducor;  
 Sensus? robur habent; tuamne limam?  
 Nil exactius est politiusq;  
 Artem? summa latet; measne laudes?  
 Hoc tantum (sed amoris ista culpa est,  
 Et grata venia est parata culpa)  
 Peccarunt Elegi tueq; Muse.*

Requisita Epigrammatis acumen sunt  
 & brevitatis. De acumine jam diximus.  
 Brevitas indefinita est: neque enim sim-  
 pliciter necessarium est, ut uno vel al-  
 tero disticho terminetur epigramma,  
 sed potest interdum ad 40. vel 50. ver-  
 sus extendi, præprimis si tale est, quod  
 circumscriptum dicimus. Martialis  
 l. 1. Epigr. 49. & l. 3. Epigr. 58. ad quin-  
 quaginta versus extendit; estque in  
 tali Epigrammatum genere penè neces-  
 saria quædam prolixitas, ac mirabiliter  
 acuminis inexpectati gratiam auget,  
 cum vel partes vel circumstantiæ re-  
 rum primùm prolixè enarrantur, ut tu  
 nescias, quid secuturum sit; subsequa-  
 tur autem velut ex insperatō uno aut  
 altero

altero versu comprehensa arguta conclusio; quam oportet esse brevissimam; sed oportet tamen illam brevitatem non ultra 40. vel 50. versus, hosque breviores, e. g. Phaleucos, extendi: Si enim Elegiaco metro epigramma complexus fueris, excedere quantitatem epigrammatis videtur. Solorumque itaque Epigrammatum simplicium, quæque circumscripta non sunt, requisitum est brevitatis. In compositis vero Epigrammatibus, in quibus acumina ex acuminibus nectuntur, paulo longius produci filum Epigrammatis potest; sed in illis id observandum est, ut delectu inter argutias factò illud, quod est præ cæteris argutiis aut novum, aut paradoxon, ultimum in locum referemus: quæ verò semel dicta sunt, non possunt in conclusione repeti, quale est apud Martialem, Epigr. 4. l. 9. ubi conclusio nihil novi habet, sed jam omnia tunc erant in præmissis. Vocari in subsidium brevitatis lemma sive inscriptio Epigrammatis potest. Cùm enim nar-

ratione & expositione rei, quæ est una Epigrammatis pars, (constat enim Epigramma expositione rei & conclusione è præmissis, ut in Enthymemate, deducta) plures versus impleantur, lemma, si bene conceptum sit, illorum vicem supplebit. e. g.; legitur inter nostra Epigrammata illud: *Quid juvat ab! ductâ prolem sperare puella? ut repares puerum, perdis, inepte, virum.* Lemma est *in senem, qui quod masculus illi mortuus heres, puellam spe recuperandi ducebat.* Illa si Epigrammate exprimenda simul fuissent, vel quatuor versus fuissent infumendi: nunc unò lemmate tota res exhibetur. Et talium Epigrammatum permulta sunt apud *Ovenum*; apud *Martialem* verò & *Catullum* expositio rei fusius in Epigrammate ipso proponitur, quod, cum sit, nitida dictione proponi debet, aut figuris quibusdam, unde non parum venustatis Epigrammati accedit. Succiplenum enim tum corpus monstrat, quod pulchrum magis videtur, magis delectat; Brevitas verò



verò illa, quæ solum tantum acumen & nudum quidem exhibet, ingrata interdum est. Epigramma unius versus est apud Martialem: *Omnia Castor emis, sic fiet ut omnia vendas*; quo perfectum continetur acumen, illatio scilicet arguta enthymematica: omnia emis, E. omnia vendis; cujus enthymematis pars prior, si per distributionem amplificatur, circumscriptum epigramma hinc nasci posset. Porro dantur Epigrammata disticha, tetrasticha, hexasticha, octosticha & longè ultra etiam illum terminum. Non parum etiam refert, quo metro epigramma scribatur: neque enim quodvis metrum cuiusvis inventioni aptum est: ut enim singulis generibus vernaculæ sunt elegantix & particulares, ita & aptius nonnunquam exprimit acumina unum genus præ altero; ut in eò peccaverit *Owenus*, qui omnia metrò Elegiaco expressit. Quædam tamen metra omninò ab Epigrammate sunt aliena, quale est Lyricum, & quidem polycolon: numerus enim an-

gu-

gustior est, quàm ut Epigrammati conveniat. Jambi, Scazontes, Phaleuci frequentiores sunt apud Martialem & Catullum &c. non ita vel Anacreonticum, vel Glyconicum, vel Sapphicum, vel Adonicum, nisi acuminis necessitas interdum requirat. Jambico genere dicolo utitur *Baubufius*, *Bidermannus* Trochaico; dicolo & jambico quaternario & Glyconico *Baubufius* utitur. Scazon jambo quaternario mistus invenitur apud *Martialem* l. 16. *Epigr.* 62. Apud Germanos promiscuè jam Alexandrini, jam Trochaici, jam Elegiaci versus, jam metra polycola & Lyrica adhibentur. Anacreontica carmina numeri rotundioris sunt, quàm pro Epigrammate. Heroicum carmen ad Epigramma ineptum esse putarunt aliqui, quos refutat *Martialis* l. 6. *Epigr.* 65. Non tamen faciliè probaverim, nisi acuminis necessitas efflagitet; Est enim numerus materiae graviori tantum aptus. Heroico utitur *Martialis* l. 1. *Epigr.* 54. sed ob illam causam, quod clausula arguta Epigrammatis, *fur es,*  
 Elc-



Elegiaco metro contineri non poterat ;  
Phaleuco tamen optimè expressisset.  
Sic in nostris Epigrammatibus illud in  
Cœliam sterilem :

*Cœlia, quæ sterili nunc es sociata marito,  
Eheu ! quam pingui macer est tibi tau-  
rus in arvo !*

non alio debebat, quàm Hexametro ex-  
primi, quia tota acuminis vis in versu  
Virgiliano consistit, qui si in aliud me-  
trum transfunderetur, omnem perderet  
venustatem. Jambicum metrum si-  
ve rectum sive claudicans frequens  
est in Epigrammate, ac est, ubi ne-  
cessitas ipsa efflagitat, cum acuminis  
ratio in verbo uno vel altero consistit,  
quod hexametri mensuram refugit. Pha-  
leucum genus omnium est elegantissi-  
mum, præsertim in Epigrammatibus  
circumscriptis, ubi aliquid enumeran-  
dum est aut comparationes instituen-  
dæ; cùm acuminis ratio & clausula E-  
pigrammatis consistit in Spondæo vel  
Trochæo, nihil Phaleuco commodius  
adhibetur. Elegiacum genus frequen-  
tissimum est in Epigrammate, in quò  
Pen-

Pentametrum trisyllabo vel polysyllabo finiendum esse vult *Carolus à S. Antonio*; cujus sanè præcepti causa nulla est, nisi fortè ob necessitatem verborum & ratione acuminis pedes tales requirantur; alioquin vel Epigramma sonum suaviorem in pedibus non respuit, modo ille non sit nimis quæsitus; nec tamen necessarium etiam est, vitare hiatus magnoperè vel asperos, & hiulcos literarum concursus, ut vult *Carolus à S. Antonio*, si acuminis ratio aliter exprimi non possit. *Anagrammata* etiam referri huc posse videntur, ut & versus quadrati cubici, ac similia nugamenta; sed illa Monachorum pleraque inventa laboris aliquid habent, parum verò ingenii. Nec inter veteres vel unicum exemplum habemus, talium commentorum. *Jang Nicius Erythreus* *nugas transalpinas* vocat, ut Germanos etiam oneret corruptelâ hac bonæ literaturæ. *Anagrammata* tamen inter illa habere locum videntur posse, si non sint operosa, si argutiam involvant. Versus quadr-

drati Cubici & crucem repræsentantes à *Rabano Mauro*, circa Caroli M. tempora scripta sunt, quæ magno illi labore constiterunt. Multa talium ineptiarum collegit nescio quis Jesuita, qui *Poesin artificiosam* nuper conscripsit: is enim titulus libri est. *Carolus à S. Antonio* in arte suâ Epigrammatica valdè prolixus est in Anagrammatibus recensendis, quæ inter Epigrammata recenseri vix merentur.

C A P. VI.

*De*

ARGUTIIS, QUÆ IN IMAGINE ET FACTIS CONSISTUNT.

**P**ostquam consideravimus argutiarum species ratione diversitatis & materiæ, jungendæ sunt ultimo loco illæ, quæ in Imagine & factõ consistunt, quibus nova præcepta adaptanda non sunt: è prioribus fontibus enim omnia deduci possunt. Ac deducunt sanè ex iisdem principiis tam *Masenius*, quam


*Ema-*

*Emanuel Thesaurus.* Et symbola quidem Emblematica ex fonte comparatorum, qui est generalis, cui alios fontes adjungit *Masenius*, sed omnes sub illo continentur, & quasi ex accidente illis tantum obveniunt. *Emanuel Thesaurus* cap. 14. libri sui demonstrat, omnes tam figuras, quam facta, quæ symbolum aliquod exhibeant, ex illis Metaphoris suis deduci posse, quod prolixè exemplis illic probat. De Emblematis & Emblematographis legi præ cæteris potest *Masenius in speculo veritatis occulta*, ubi secundum methodum suam ea in ordinem locat. Italorum Emblematographi uno volumine sunt comprehensi, & nunc sub certis classibus dispositi. Emblemata, quæ ex comparatis ducuntur faciliè inveniri possunt, si noveris methodum Comparatorum & Similium, quam perscripsit *Zöfingerus in præfatione ad Lycosthenis Similia*. Facile verò ex comparationibus & similibus fieri possunt Emblemata, e.g. apud Lycosthenem p. 66. tit. de animi cultu, hæc reperitur Comparatio: *ut pueri dum primum discunt scribere, aliena a manu per literarum simulachra ducuntur: si animus ad præscriptum primo iusetur oportet, donec per se incipiat philosophari.* Ex hoc simili Emblemata faciens pinget virum manu sua pueri manum dirigentem in scribendo; adde lemma: *non nisi ducta duco!* apud eundem p. 463. tit. de ingenio præcoci hoc simile affertur è Seneca de consolatione, c. 23. *Ignis quò clarior fulsit, eo citius exstinguitur;*  
S&A-

Facior est, qui cum lenta difficilique materia commixtus: sic ingenia quo illustriora, eo breviora sunt. Hinc facile Emblemata parabis ex oppositione: pinges duos, quorum alter pulverem pyricam incendat, alter ligno viridi carbones subiciat. Lemna erit: *Ex luce fumus, e fumo lux.* Apud Lycosthenem tit. de educatione, ex Plutarcho hoc simile affertur: *ut molli materia sigillum imprimitur, si dure scat, non item: ita puerorum ingenia facile quamvis recipiunt disciplinam; sin atate dure scant, non item.* Pinges Cupidinem annulo ceram signantem, inscribe: *Dum premi potest, imprime!* apud eundem tit. de conversatione e Plinio affertur simile, lib. 32. c. 1. *Torpedo piscis haud nocet, nisi contactus, sed virus etiam suum per lignum ad piscatoris manum mire transmittit: sic improbi & pestilentes non nocent, si nihil cum illis habeas commercii.* Pinges cupidinem torpedinem tenentem, cum lemmate: *Noli me tangere, vel: si tangis, angit! vel: ex tactu contagium!* De ænigmatibus etiam quædam possent dici, sed nulla est differentia, quam quæ Metaphoræ. De iis eorumque requisitis Masenius in lib. oit. prolixius agit, ubi etiam de inscriptionibus ænigmaticis. E Græcis quædam in Anthologia referuntur. Inter recentiores Barlaus ænigmata quædam edidit, sed plana nimis, quæ facile capias. Sunt & in Belgicâ & Germanicâ linguâ nonnulli qui quædam tradidere: sed de his fusius differere non est necessum, cum facile e supra dictis illorum ratio constare possit. Ideoque huic tractationi de arguta dictione finem imponimus, reliqua ipsi exercitio demandamus; nam usus Magister optimus.

*Solus & artificem qui facit, usus eris &c.*

D. S. G.



*Index Prior Sectionum & Capitum.*

PRÆFATIO.

Sectio I. Continens Capita 3. agens de Principiis argutæ dictionis.

Cap. 1. De argutiarum nominibus earumq; fundamento Metaphora.

Cap. 2. De Propositionibus argutis.

Cap. 3. De Enthymematibus argutis.

Sectio II. Continens capita 6. agens de Substantiis argutæ dictionis.

Cap. 1. De Versione argutâ.

Cap. 2. De Variatione arguta.

Cap. 3. De imitatione arguta.

Cap. 4. De impetu naturæ ac ingenii facilitate in inventione argutiarum.

Cap. 5. De locis Dialecticis eorumque indagandis argutiis usu.

Cap. 6. De indice Categorico.

Sectio III. Continens capita 6. agens de Variis Argutiarum objectis.

Cap. 1. De Epistola arguta.

Cap. 2. De Dialogo arguto.

Cap. 3. De Apophthegmatibus.

Cap. 4. De Inscriptionibus.

Cap. 5. De Epigrammatibus, Anagrammatibus &c.

Cap. 6. De Emblematis & Ænigmatibus.

*Index Autorum Allegatorum.*

A.


Alphonfus R.

Albertus ab Albertis,

Carolus à S. Antonio.

Ari-






(o)



Aristoteles.  
 Aufonius.  
     B.  
 Jacobus Balde.  
 Barclajus.  
 Barlæus.  
 Baudius.  
 Bauhufius.  
 Beccherus.  
 Berlucius.  
 Bidermannus.  
 Bœclerus.  
 Octavius Boldonius.  
 Boxhornius.  
 Brissonius.  
 Laurentius le Brun.  
 Lucius Domitius Bru-  
     sonius.  
 Buchananus.  
 Buchnerus.  
     C.  
 Cæsar.  
 Capillavius.  
 Johannes Caselius.  
 Casumius.  
 Catullus.  
 Thomas Choræus.  
 Cicero.  
 Claudianus.  
 Johannes Cælius.  
 Cottunius.  
     D.  
 Demetrius.

Johannes Donne.  
 Dornavius.  
     E.  
 Erasmus.  
 Janus Nicius Ery-  
     thræus.  
     F.  
 Joh. Faber.  
 Ferrarius.  
 Janus Cæcilius Frey.  
 Frischmannus.  
     G.  
 Grotius.  
 Gruterus.  
     H.  
 Harsdörffer.  
 Heinsius.  
 Hermogenes.  
 Horatius.  
 Gilbertus Huberus.  
 Constantinus Hüge-  
     nius.  
 Huldaricus Huttenus.  
     I.  
 Albertus ab Ines.  
 Jonstonius.  
 Aloysius Juglaris.  
 Juvenalis.  
     L.  
 Petrus Labbe.  
 Laberius.  
 Laumbergius.  
     Lipfius

rin-  
 mq;  
 bfi-  
 aci-  
 in-  
 riis  
 ati-  
 s,  
 io.  
 Ari-



(o)



|                      |                        |
|----------------------|------------------------|
| Lipfius.             | Reinefius,             |
| Longinus,            | Rinthon.               |
| Lullius.             | Francifc. Robortellus, |
| Lycolthenes.         | S.                     |
| M.                   | Sarbieuius.            |
| Joh. Bapt. Mafculus. | Sautellus.             |
| Mafenius.            | Scaligeri.             |
| Paulus Manutius.     | Caffar Scioppius,      |
| Martialis.           | Seneca.                |
| Rabanus Maurus.      | Stephanus.             |
| Menagius.            | Famianus Strada.       |
| Mercerius.           | Joh. Sturmius.         |
| Muretus.             | Francifcus Suertius.   |
| N.                   | T.                     |
| Nadafei.             | Tacitus.               |
| O.                   | Taubmannus.            |
| Opitius.             | Emanuel Thefaurus.     |
| Ovidius.             | Tiberius.              |
| Ovvenus.             | V.                     |
| P.                   | Varro.                 |
| Panormitanus.        | Francifcus Vavaffor.   |
| Pafferatius.         | Petrus Victorius.      |
| Cardin. Perronius.   | Virgilius.             |
| Laurent. Pignorius.  | Voffius.               |
| Plautus.             | W.                     |
| Q.                   | Wallius.               |
| Quintilianus.        | Christian Weife.       |
| R.                   | Z.                     |
| Mich. Radovius.      | Zinckgrävius.          |
| Rapinus.             | Zvyingerus.            |

F

I

S.

ellus,

5,

ius.

rus.

affor.

s.

•

Dam





50243

S

AB=50243

X2665479

Ad 165

Wort



*Wolff H. 183.*



DANIELIS GEORGI  
MORHOFI  
COMMENTATIO  
DE  
DISCIPLINA  
ARGUTIARUM.

